or
tra,
exu
quic
cõn
obis
ni e
ti.
os fa
omin
ris fa
æ M
ne
xn

TEMPLI MYSTICI In Homine Christiano demonstrati.

CAPVT I.

Christianus est Templum DEI.

HOminem à DEO creatum, & huic per sacramentũ baptismi consecratum, esse Templum eius Mysticum, adeò certum est, vt probari non debeat. Clarissi-

mis enim verbis Tarsensis Apostolus in exarata Corynthijs epistola hoc asserens: *Nescitis*, ait, *quia Templum* DEI *estis vos?* 1. 3. 16. Iactabat olim Asia fanū Ephesinæ Dianæ, interq; septem vrbis miracula non postremum ostentabat. Et meritò. Ingens erat, affabrè factum, magnificum, splendidum; in structurā cuius, & nitorem plures Regum suas opes profudêre. Sed tamen erat fanum Dianæ vnius mulieris famosæ. vos Christiani, docente gentium Præceptore, *estis Templum* DEI *vivi*. 2. Cor. 6. 15. Quæ gloria vestra? quæ dignitas? opulentissimus, & sapientissimus Regum Salomon, filius

lius justi Dauidis, & sceptri heres, tàm patris mandato, quàm DEI nutu concitatus, erexerat Ierosolymis in vrbe sua regia Basilicam tàm celebrē, cui par orbe toto visa nunquam fuit altera; núm videnda, ignoro. Septennio maximis ſpensis á pluribus operis ædificabatur. Parietes é sectis in quadrum lapidibus eo modo ponebantur, vt neq; malleus, neq; securis audiretur. Intrinsecùs vestiti fuêre tabulis cedrinis : hæ laminis aureis cum sua cælatura venustissima non illitæ modò, sed penitùs inclusæ : *nihilq; erat in toto templo, quod non auro tegeretur.* 3. Reg. 6. 22. verum illa omnia

vt humanum ingenium excita-uit, ſic humana diſſoluit manus, ac æquauit ſolo. Tu Homo, diuini conſilij inuentum es. Ipſa TRINITAS Auguſtiſsima tè ſibi in Templum erexit, ipſe rerum omnium Sator te condidit. *Formauit* DEVS *hominem de limo terræ.* Gen. 2I. Nec idcircò tamen eſt homo templo Salomonis inferior, quod è limo plaſmatus. vili namq; materiæ pretiū immenſum conſtituit manus artificis. *Quidquid enim factum eſt* (ait Hugo de S. Victore in gen. c. 7.) *præter hominem, fecit* DEVS *ad mutationem & mortem : hominem verò ſolum ad immortalitatem.* Quapropter jure quiſq; noſtrum

noſtrum coram Domino cum Rege pſaltè ac Iobo gloriatur: *Manus tuæ, Domine, fecerunt mè.* Hîc nihilominùs moneo neminem: nè putet, DEVM haberè manus; cum ſè DEI manuum legit opus eſſe. *Nimiúm puerilis cogitatio eſt*, inquit Africanus Doctor, *quòd manibus corporalib⁹ de limo finxerit hominē DEVS enī non eſt mēbrorū lineamentis determinatus, ſed ſicut dictū eſt*, manus tua gētes diſperdidit; *Et*, eduxiſti populū tuū in manu potenti & brachio excelſo; *ita dictū eſt*, man⁹ tuæ, Domine, fecerunt me, & plaſmauerunt mè. *Huiuſmodi enim membrá pro poteſtate, & virtute* DEI *poſita ſunt.* virtus igitur

DEI hominē fabricauit Quodsi modum creationis nostræ expenderimus, majorem adhuc, quàm cogitari posit, excellentiam nostri generis esse animadvertemus. Conditura quippè hominem æterna TRIAS, noluit hoc sine consilio aggredi; sed quasi aliquid summi ac maximi momenti factura deliberando dicebat Gen. 1. 26. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram* Hinc appositè Gregorius Nyssenus exclamat: *O quale miraculum! Sol fit, & nullum præcedit consilium. Cælum, & singulæ quæq; creaturarum verbo tantummodò producuntur: ad hominis autem solius conditionem*

cum

cum consilio quodammodo Conditor vniuersitatis accedit dicens. Faciamus hominem. En homo, tuam dignitatem! Sed quantum eius gratia tuo Conditori sis obligatus Ambrosium præmonentem audi. *Consilio* S. TRINITATIS (inquit ille) *& opere Maiestatis Diuinæ, creatus est homo; vt ex primæ conditionis honore intelligeret, quantum deberet suo Conditori: & tantò ardentius amaret Conditorem, quantò mirabilius ab eo se esse conditum intelligeret.* Quid? quòd creationi nostræ jam per peccatum deprauatæ, sanctificationẽ adjecit, & ceu laminis aureis templum suum vestiens lumine gratiæ suæ nos illustrauit, pæ-

 neq;

neq; sibi consecrauit; cùm sacro fonte lotos originali justitiâ redonauit? *Et ideò, fratres charissimi,* (ita nos divus Augustinus exhortatur) *quia nullis præcedentibus meritis, per gratiam* DEI *meruimus fieri Templum* DEI; *quantùm possumus cum ipsius adjutorio laboremus: nè Dominus noster in Templo suo, hoc est, in nobis ipsis inueniat, quod oculos suæ Majestatis offendat.* Cæterùm, cùm, *quidquid in templis manu factis agitur* (docente eodem S. Patre) *totum in nobis spiritali ædificatione compleatur:* juuat vlteriùs in opere cæpto progredi, Templiq; mystici reliqua propria exponere. Quæ si quispiam

 atten-

attentius legerit, & trutinauerit ſæpiùs, futurum eſt, vt magnum ex opuſculo noſtro percipiat emolumentum; nempè, ſuæ, Deiq; cognitionis incrementum, viam certam ſalutis, & Chriſtianæ normam perfectionis.

CAPVT II.

Imago Templi Myſtici.

DEVM in homine oſtendo: procul, procul eſte prophani. *Ad imaginem quippè* DEI *factus eſt Homo.* Gen. 97. Sol, phæbe, fixaq; & mobilia ſidera; cœlum cum ſua pulchritudine, Terra cum ſua amplitudine, mare cum ſua profundi-

tate, cedant humanæ naturæ. *Ad imaginem quippè* DEI *factus est Homo*. Metalla pretiosa, gemmæ nimiùm æstimabiles, purpurea coralla, cristalla niuea, flaua succina, argenti candor, splendor auri, nitor vnionum, ardor adamantum, cedant humanæ naturæ: *Ad imaginem quippè* DEI *factus est Homo*. Sed, & pelagi natantia, & aëris volatilia, & telluris discurrentia, ac nobilia; & quidquid infra DEVM est non præditum ratione, subsit humanæ naturæ. *Ad imaginem quippè* DEI *factus est Homo*. At tu, Numen terrenum, expende mecum, & agnosce, quid sis? Imago DEI. Quo pacto? edisserent

ferent afflati diuino Spiritu Patres. Ac inprimis audi Gennadium. *Hominem* (loquitur hic) *ad imaginem* DEI *eße, hac ratione est intelligendum.* DEVS *vniuersorũ prouidẽtiã habet; homo quoq; ex his nonnullis prouidet* DEVS *incircumscriptus, & omnibus præsens adest; & homo per cogitationem momento temporis, vbicunq; voluerit, præsto adest.* DEVS. *vniuersorum Rex est; homo quoq; judiciariâ potestate à Deo honestatus est.* DEVS *inuisibilis, immortalis, & opifex; neċ humana natura his diuinis insignibus omninò vacua est.* Sed magis propriè. & ad rem præsentẽ accommodatissimè, facundissimus & sapientissimus Præsul

Ambrosius, hanc in Tēplo DEI Mysticoimaginē DEI depingens *Hæc Imago* (inquit) *ex interioris hominis nobilitate consideranda est. Primū quidē: quòd sicut* DEVS *vnus sēper vbiq; totus est, omnia vivificans, movens, gubernans, sicut Apostolus* Act. 17. *confirmat, quòd* in eo vivimꝰ, movemur, & sumus: sic *anima in suo corpore, vbiq; tota viget vivificās illud, movens, & gubernans, tàm in minimis membris. quàm in maximis tota. Hæc est imago vnitatis* DEI; *est & imago* TRINITATIS, *tàm in eo: quòd sicut* DEVS *est, vivit, & sapit; ita & anima secundùm suum modum est, vivit, & sapit: quàm etiam: quia sicut* DEVS *vna natura est, tres tamen*

men personæ: Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus: sic & anima vna natura est, tres tamen in se dignitates habet, id est, intellectú, voluntatem, & memoriam, Quod idem, licet aliis verbis, in Euangelio designatur, cũ dicitur: Diliges Dominũ DEVM tuũ ex toto corde tuo, &ex tota anĩa tua, &ex tota mẽte tua; *id est, ex toto intellectu, ex tota volũtate, et ex tota memoria. Item, sicut ex Patre generatur Filius, et ex Patre, Filioq; procedit Spiritus Sanctus; ita ex intellectu generatur voluntas, & ex his itidem ambobus procedit memoria. Et sicut DEVS Pater, DEVS Filius, DEVS Spiritus Sanctus est; non tamen tres Dij, sed vnus DEVS tres habens*

bens perſonas: ita et anima intellectꝰ, anima voluntas, anĩa memoria; non tamen tres animæ in vno corpore, ſed vna anima tres habens dignitates. Et ex his tribus quaſi excellẽtioribꝰ animæ dignitatibꝰ jubemur diligere Conditorẽ. Presſiùs eadẽ mellifluus Pater, Bernardꝰ, clarè tamen his verbis exponit, ac inſinuat. *Mens noſtra* (l. de med. c. 1.) *imago* DEI *eſt: in qua ſunt hæc tria; memoria, intelligentia, et voluntas. Mẽoriæ attribuimꝰ omne, quod ſcimꝰ; intelligentiæ omne, quod verũ invenimus; voluntati omne, quod amamus. Per memoriam Patri ſimiles ſumus, per intelligentiam Filio, per voluntatem Spiritui ſancto.* Atq; iam & ex allato ſa-

crae

cræ paginæ textu, & ex Sancto-
rum Patrum genuino sensu, qui-
vis Christianorũ facilè conijciet,
opinor, in anima sua, eiusq; po-
tentijs, nempe intellectu, volun-
tate, ac memoria, imaginem
Sanctissimæ TRINITATIS im-
pressam esse. Restat, vt quod ij-
dem divinissimi Præceptores
nostri monent, implere diligen-
tissimè allaboremus. Et quidem
Divus Bernardus: *Oportet autem*
id (ait) *quod ad imaginem est, cum*
imagine convenire, et non in vacu-
um nomen imaginis participare.
Repræsentemus ergo in nobis ima-
ginem eius in appetitu pacis, in in-
tuitu veritatis, et in amore chari-
tatis. Sanctus deinde Ambrosi-
us

us, ad hanc in nobis depictã effigiem DEI continuò contemplandam cum singulari amore Conditoris & restauratoris nostri ita nos hortatur : *Semper in mente intelligentis & diligentis maneat* DEVS *vt sicut non potest, esse momentũ, quo homo non vtatur, uel fruatur* DEI *bonitate, & misericordia; ita nullũ debeat esse momentum quo præsentem eum non habeat memoria.* Nec sufficit nudam *D*EI præsentiam apprehendere; actionibus quoq; nostris, ac operibus externis nobis demonstrandum est, *quòd* intùs imaginem DEI verè geramus vivam, & intaminatam. Placet adhuc ea de re Ambrosio differenti fauere.

uere. *Sicut* DEVS *Creator* (inquit is) *qui hominem ad imaginem et similitudinem suam creavit, est charitas, est bonus, est iustus, patiens, atq; mitis, mundus, et misericors; & cætera virtutum sanctarum insignia, quæ de eo leguntur, complectitur; ita et homo creatus est, vt charitatem haberet, bonus esset, et justùs, patiens, atq; mitis, mundus, et misericors. Quæ major dignitas* (pergit vltrà) *quâm jisdē hominē vestibus indui, quibus ipsemet Dominus; iuxtá illud,* Dominus regnavit, decorem indutus est? *Quapropter quisq; diligentius attendat, primæ conditiònis suæ excellentiam, et venerandam in seipso Sanctæ* TRINITATIS *imaginem,*

 agnoscat

agnoſcat, honoremq́; ſimilitudinis divinæ nobilitate morum, exercitio virtutum, dignitate meritorum habere contendat; vt quando appareat, qualis ſit, tunc ſimilis ei appareat, qui ſe mirabiliter ad ſimilitudinē ſuam in primo Adam condidit, mirabiliusq́; in ſecundo reformavit. Hinc deniq; meritò inſtat Venetiarum ille Sol, D. Laurèntius Iuſtinianus: *Quid tibi cum carne et ſanguinè, qui Divinam in te geſtas imaginem? quid tibi cum mundo et vitijs, qui ad hoc conditus eſſe probaris, vt cælum conſcendas, atq́; cum Angelicis ſpiritibus beatâ* DEI *viſione fruaris?*

CAPVT

CAPVT III.

Altare Templi Mystici

AMplector Claræ Vallis oraculum, & omnibus evulgo. *Templum Sanctum est mens pia, et altare optimũ cor eius.* Hoc effatus est Bernardus Med. c. 6. Et quis non fateatur, Aram esse *D*EI maximi, Cor hominis, præsertī devoti? cùm, sicut in ara templi materialis nunquā non est DEVS in Sanctissima Eucharistia velatus; ita in corde sibi dicato. Vndè apud illuminatissimum Patrem Calaguritanum, Ioannem á IESV MARIA reflorescentis Carmeli Præpositum quondam supremum,

his nos alloquitur. *Totis visceribus corda vestra mihi præparate; ut amore vestro allectus, recliner in eis, tanquã sponsus in thalamo suo, tanquam* D E V S *in ara propria*, Expetebat olim Numen optimum erigi sibi templum ab Israelitarum Monarcha. hinc, quod expetebat, innuens Prophetæ suo, cũ his eum mandatis ad Davidem expediebat 2. Reg. 7.5. *Vade, et loquere ad seruum meum David, Hæc dicit Dominus: Numquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum?* Quantò ardentiùs expetit, aram sibi in templo suo mystico dicari? cor, inquam, totum. Hinc ista ad vnumquemq; nostrum, ut ita dicam, exoratio

apud

apud ſapientem Prov. 23. *Præbe, fili mi, cor tuum mihi.* Cuius rei gratiâ? ut illud inhabitet, in eo reſideat, maneat, regnet, æternùm quieſcat. Nam ipſo Philoſopho Romano ſentiente, (Sen. ep. 41.) *in vno quoq; virorum bonorum habitat* DEVS. Huc propterea collimat aureus Aurelius, cùm finē conditi hōinis nobis proponens ita ſermocinatur *Fecit* DEVS *hominem, vt amando ſummum Bonum poſsideret: eſt ergo* DEVS *poßeßio hominis.* Quodſi DEVS poſseſsio hōinis, certè nobiliſsimo loco apud hominem digniſsimus eſt, Res enim præſtantiores præſtantiùs habēdæ, ſublimiores colendæ ſublimiùs.

Quid autē Deo præſtantiùs aut ſublimi⁹? Cùm igitur nihil in homine ſit aut dignius, aut nobilius, eius corde; hîc DEVS, ut in altari ſuo, locandus eſt, ut ſuâ totâ poſſeſsione pleniſsimè gaudeat. Amantiſsimus Dei Vir D. Bernardus non aliud ſentiens: *In omni creatura* (ait m. 7.) *quæ ſub ſole mundi vanitatibus occupatur, nihil humano corde ſublimiùs nihil nobiliùs, nihil DEO ſimiliús reperitur. Quapropter nihil aliud quærit à te niſi cor tuum.* Adde, quòd ipſum Cor noſtrum ſi paulò generoſius eſt, nullâ aliâ re poteſt impleri, præterquàm Deo ſolo? Nihil appetere itaq; debeat, præter DEVM, non requieſcere

ſcere alibi, niſi in illo, cui debetur. Agnovit hoc Auguſtinus ita Deo colloquens. *Feciſti nos, Domine, ad te, et inquietum cor noſtrum, donec quieſcat in te.* Hoc pereleganti, & appoſitiſsimâ ſimilitudine, eruditus ille piusq́; Pater Nierembergius in vita Divina c. 4. illuſtrans: *Acus nautica, ait, non quieſcit, donec ſeptemtrioni obverſetur, polumq́ue Arcticum recta adſpiciat; et in quamcunque tandem aliam partem convertatur, nunquam conſiſtit: ita Cor noſtrum, quod non ad aliud quidquã, ſed ad ſe ſolum fecit DEVS, in centrum ſive naturalem perfectionẽ ſuam propendet, et inclinat: neq́ue ante poteſt quieſcere, quam ad ſuum*

 reſpiciat

respiciat Conditorem. Cùm itaq; mutuò appetantur, & *Deus* à corde, & cor à *Deo*; neq; cor *Deo* invidendum est, nec *Deus* cordi. maneat solus in altari suo Terrenum in eo nihil, non dico immundum consistat. Maximo zelo hanc aram soli Deo purissimam conservemus. Imitemur omninò Mathathiæ generositatē: in cujus aspectu cùm quidam Hebræus idolis faceret sacra, *insiliens trucidavit eum super Aram.* Neq; nos patiamur quidquam præter Deum in ara cordis nostri. Præceptum ipsius est, *Diliges Dominum DEVM tuum ex toto corde tuo.* Quod explicans Lipomanus: *Solus, inquit, vult Domi-*

Dominus haberi, cordi, coli et amari: et vt solus noster Dominus est, sic totos nos exigit esse suos. Alias, ergá minimã reculam, erga nos metipsos minimus affectus inordinatus, perfectæ maximè officit dilectioni. DEVM *enim* (ut ait Theodoretus) *ex toto corde diligentes non partiuntur animum collocantes illú cùm in terrenis, tùm in cælestibus; Sed totum sursum ferunt.* Non progredior vlteriùs, intra sphæram cordis me contineo, atq; concludo. Si *Cor altare Dei est*, iuxta mentem D. Bernardi, *Soli* Deo consecratũ sit. *Solus vult cor tuũ habere* (monet te Christiane, imitator Christi l. 2. c. 7.) *et tanquam Rex in pro-*

prio

prio throno sedere, tanquam *Deus* in ara sua. o *Deus*? effice, vt sit hoc in æternum.

CAPVT IV.

Sacrificium Templi mystici.

PRocul ab hoc Tēplo nostro victima ingrata DEo, quam alicubi reprobans ipse; *Numquid*, ait *manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?* Psal. 49. Procul emptiones ac venditiones, quas odio maximo habet iuxta illud Hieronymi in Matthæum. *Non sit in domo pectoris nostri negotiatio; non ementiū vendentiumq́; commercia, non domorum*

morum cupiditas : ne ingrediatur IESVS *iratus, & rigidus, & non aliter mundet templum ſuum, niſi flagello adhibito. Quid ergo* litandum æternæ Maieſtati? *Sacrificium* DEO (canit *David*) *Spiritus contribulatus; cor contritum, & humiliatum,* DEVS, *non deſpicies.* Afflictus DEO litet afflictionem ſuam: peccator contritionem, juſtus humilitatem, Sacerdos laudem, Religioſus vota ſua; quemadmodùm idem Rex alibi monet: *immola* DEO *ſacrificium laudis, & redde altisſimo vota tua.* Grata eſt afflicti litatio, cúm præſertim in ea DEVM benedicit, ſive pro peccatis, ſivè pro merito gloriæ ſempiternæ illi impo-

imponatur afflictio : vndè aliquis Patrum : *Nihil eße ait, illâ lingvâ beatiús, quæ in adversis Domino gratias agit* Grata est peccatoris pænitentis contritio; quia ipso Domino atteſtante, *Majus gaudium erit in cælo ſuper vno peccatore pænitentiam agente, quàm ſuper nonaginta novem iuſtis, qui non indigent pænitentiâ.* Luc.15. 7. Grata est humilis creaturæ oratio; quia *penetrat nubes*; quia DEVS *humilibus dat gratiam.* Et quemadmodùm juſtus in principio ſermonis eſt accuſator ſui ipſius, ita DEVS ipſi propinquus adeſt ſemper & amicus, qui humilitate maximè delectatur. Grata eſt Laus in ore

ſacer-

ſacerdotum, quos ipſe Divinus hortatur Spiritus: *Benedicite ſacerdotes Domini Domino, benedicite ſervi Domini Domino.* Grata demùm eſt, immò gratiſsima Religioſorum hominum paupertas, caſtitas, obedientia, quia conſilio Chriſti innititur; has ipſas oblationes Dominus noſter à *D*ivo Franciſco in forma aurearum lancium expoſtulavit, & extorſit. Cum autem hæc enumerata DEO ſacrificia ſint acceptiſsima, tùm illud erit omnium præſtantiſsimum, & amabiliſsimum, in quo ea vniverſa continentur. Hoc peragitur, cùm omnia noſtra interiora, atq; exteriora, purâ intentione quotidie

die DEo ita offeruntur, vt nulla pars ex jis cedat diabolo. Modum huius oblationis habe duplicem, quo manè, ac vesperi, queas vti.

PRAXIS I:

Oblationis quotidianæ.

OFfero, Domine DEVS meus, Maiestati tuæ tributum matutinum, (aut vespertinum) meritorum omnium D. N. IESV Christi, Virginis Beatissimæ, & omniū cælitum, justorumq́ in terris degentium ac omnium hominum bona opera et indifferentia: idq́ in compensationem omnium et singulorum beneficiorum, mihi, et vniverso generi

generi humano, quandocunque et quomodocunque, præsertim hac nocte (vel die) collatorum; in satisfactionem, & ablutionem peccatorum meorum, ac omnium culparum & imperfectionum, totiusque generis humani, præsertim hac nocte (vel die) commissarum; pro aversione pœnarum & plagarum, quas meruimus pro jisdem, & periculorum animæ atque corporis; pro agnoscenda & implenda voluntate tua in omnibus, teque amando supra omnia, proximoque charitate ordinata, & horum omnium impedimentis avertendis; pro necessitatibus Ecclesiæ tuæ Sanctæ Spiritualibus & corporalibus, summi Pontificis, Imperatoris Christiani, Regis ac Regni

nostri

nostri, et omnium Regum ac Regnorum Christianorum, meis, & meorum parentum, consangvineorum, propinquorum, benefactorum, amicorum, inimicorum &c. præsertim N. N. et pro quibus orare vnquam proposui, prõisi vel debeo, ac Maiestas tua orari vult, vivi illi sĩt, seu vitâ functi, at nondùm gloriâ Tuâ perfruentes; pro conversione peccatorum, et hereticorum, atq; infidelium, schismaticorumq; illuminatione; deniq; ad eam intentionem, ad quam Tua Maiestas hæc sibi vult offerri, et ego teneor offerre. Atq; cum his omnibus meritis suppradictis, et operibus offero Majestati Tuæ cor meum, vt te solum amet, et nihil

et nihil præter te, nisi propter te; animam meam, vt tibi seruiat; intellectum, memoriam, voluntatē, ut tibi subjaceant; os meum, vt te loquatur; linguam meam, vt te benedicat; visum, tactum, gustum, auditum, odoratum, phantasiam, vt nihil mali recipiant, & inordinati appetant, aut retineant; omnes sensus interiores, & exteriores; omnes partes corporis & animæ, omnes motus; omnia mea totius vitæ, & maximè huius diei opera, cogitationes, gressus, aspectus, colloquia, desideria, proposita, tribulationem, consolationem, metum, securitatem, anxietatem, hilaritatē, lapsum, resurrectionem, tentationem & eius victoriam, persecutiones

ines, njurias, honorem, contemptũ, infamiam, bonamq; famam, affluentiam, indigentiam, laborem, quietem, sanitatem, infirmitatem &c. vitam, mortem; me, inquam, totum, meaq; omnia. Fac Domine, tuus, vt sim totus, meus nullus, omni tempore, omni momento, totâ æternitate. Et hæc omnia cedant, ad gloriam tuam, Sanctissimæ Virginis MARIÆ, & omnium Cælitũ honorẽ, meamq; et proximorum salutem virtutis augmentum, gratiæ & meriti incrementum. Amen. A.

PRAXIS II.

ex V. P. Ioanne. á I. M. Carm. Excalceatorum.

CLementissime DEVS, cui me totum

tũ ex multis capitibus debeo, meipſum totum, cogitationes, verba, & opera totius vitæ, ſed hodierna peculiariter vnà cũ IESV Chriſto Domino noſtro, Beatiſsimâ Virgine, vniverſis Spiritibus beatis, & ſanctis, qui in cælo, ac iuſtis, qui vbiquè exiſtunt, quos omnes mihi arctiſsimè per affectum adſtringo, dirigò ad gloriam Maieſtatis tuæ, tibiq; ſine intuitu alio, per illa omnia placere impenſiſsimè cupio: ac opto vltra ea, quæ recenſuj ; innumera millia perfectiſsimorum cordium, quæ ſimul cũ eis ab æterno tibi placuiſsent, & placitura in æternum eſsent, poſsidere. Omniaq; hoc deſiderio intra me concepto, tibi ad ſingulos habitus offero in hoſtiam prs

 peccati

peccatis expiandis, in hostiã gratiarũ actionis, ad gratiã pro beneficijs vniversalibus et peculiaribus referendam: in hostiam pacificam pro bonis omnibus, quibus egeo vsq; ad beatitudinis adeptionem impetrandis; in holocaustum ad vnionem cordis tecum ineundam & Divinam Majestatem tuam protestandam.

Beatissima Virgo, & me totum, et cogitationes omnes, verba, et opera vitæ totius, sed, hodierna peculiariter, et vniuersa corda illa, quæ recensui, (quoad licet) quàm latissimè possum, in laudem tuam dirigo, et tibi per omnia illa placere summoperè cupio.

Protestatio.

PRotestor, DEVS meus, infinitæ bonita-

bonitatis ac Maiestatis Domine, me nihil hac die, ac toto vitæ meæ tēpore, velle cogitare, dicere, facere, cōtra tuā voluntatē. Citrà mentem itaq; meam et intentionem fiet, si quid contrarium fiet: et nè fiat, humillime Tuæ Maiestati supplico, solo ãoris tuj, et gloriæ Tuæ intuitu.

Per tales oblationes ac protestationes multa mala euadimus, multis bonis cumulamur; quod maximum est, DEO gratissimi efficimur. Finem capiti huic impono aureo effato Imitatoris Christi l. 3. c. 25. *Consistit profectus et perfectio hominis, in offerendo te ex toto corde tuo voluntati Divinæ; non quærendo; quæ tua sũt, nec in parvo, nec in magno,*

guo, nec in tempore, nec in æternitate; ita, vt unà æquali facie in gratiarum actione permaneas, inter prospera, & contraria, omnia æquâ lance pensando.

CAPVT V.

Sacerdos Templi Mystici.

IN hoc templo mystico omnia sacra peragit Amor: victimas omnes *Amor Sacerdos immolat.* Amor ille purus, sanctus, igneus, cælestis, ex æterni Amoris fonte derivatus. Levitici secundo, imperatum est Clero illi antiquo; *Quidquid obtuleris sacrificij, sale condies.* Vetera nempè sacrificia

cia potissimùm carnibus constabant; quarum nullus absq; sale sapor, nulla conservatio. In lege Christi, cujus vmbra vetus lex erat, rectiùs dicendū: *Quidquid obtuleris sacrificij amore condies.* Nam, vt observat Petrus Cluniacensis l. 5. ep. 16. *Qui in lege nullum sacrificium sine sale suscipit; sic nullum munus sine fœdere charitatis sibi placere ostendit.* Huc spectat sanctissimi Patris Ambrosij dictum: *Dilectio sola discernit inter filios* Dei *&* *filios diaboli. Signent se omnes signo Crucis; respondeant omnes Amen; intrent Ecclesias, impleant parietes basilicarum: non discernuntur filij* Dei, *à filijs diaboli, nisi charitate,*

Quapropter ſacrificia templi myſtici, niſi ab amore ſacerdote offerantur, ingrata ſunt DEO, penitùs illa reſpuit. Si enim intentio operum noſtrorum, ſive bonorum, ſive vt vocant indifferentium, non fuerit optima; vix meritum aliquod haberi poterit. Commune illud axioma non omninò incertum eſt. *Quidquid agant homines, intentio judicat omnes*, Proripis te lecto, & illico varijs applicas, & ſine actu bonæ intentionis, & ſine reflexione mentis ad *DEVM*? crede mihi non abſimilis es bruto. Perdideris diẽ, ni fortè DEVS, qui te creavit ex nihilo, & redemit pro gloria ſua,

acce-

acceptet illa, quæ per te ordinavit facienda benè, & rectè. Indifferentia tamen, quid habebunt meriti, quæ neq; bona, neque mala sunt; nisi tu illa per intentionem bonã feceris bona? Huius intentionis defectu vidẽtur mihi laborasse sacrificia Caim. *Respexit enim Dominus* (Gen. 4.) *ad Abel et ad munera eius; ad Cain autem, & ad munera illi⁹ non respexit.* Theodosion vertit. *Et inflammavit Dominus super Abel, & super sacrificium eius; super Cain verò, et super sacrificium eius non inflammavit.* Cur ita? Nam, vt ait Ambrosius, *Cain, cum* Deo *offerret munera sua, seipsum sibi retinuerat. Huiusmodi portionem*

DEVS non accipit; sed, præbe inquit, fili, cor tuum mihi. At ipse cor suũ retinuit sibi, & fructus terræ DEO obtulit. Respuit magnificentissimum numen illa dona, quæ non ex amore, sed aliquo spiritu alio, aut fraternæ æmulationis, aut vanæ & futilis ceremoniæ offerebantur. Aberat Amor Sacerdos, dùm sacrificaretur; non est receptum sacrificium. Sive igitur oras, sive legis, sive scribis, sive bona loqueris, meditaris, laboras, edis, bibis, honestè recreas animum; & quidpiam honesti, pij, sancti, vtilis, ac laudabilis facis; totum fac ex amore *DEI*, ad gloriam *DEI* eo modo, vt semper factum præveniat in-

tentio

tentio singularis, aut saltem subsequatur. Nám & fructiosiùs, & nobiliùs est, non manè solùm ac vesperi, se totũ, suaq́; omnia; (vt docuimus) sed etiam sæpiùs in diej decursu, initio maximè singularum actionum, DEo consecrare, adjectâ quotidie saltem generali protestatione, (vt ostensum) de non cogitandis, loquendis, aut agendis, non dico malis, at vanis, curiosis, inutilibus; ac imperfectionibus cauendis. Sic enim futurum est, vt pius & misericors Dominus, respiciens sinceram voluntatem nostrã, omnia opera nostra, cogitationes, actionesq́; sanctificet; à peccatis nos præservet;

& si casu per fragilitatem fuerimus lapsi, nos illicò erigat; ignorantiasq; nobis clementer condonet; ac tandem faciat, vt illũ ex toto corde, animo, mente, voluntate, viribus, vbiq;, semper, totâ æternitate, diligamus perfectissimè, & arctissimo intimæ Charitatis vinculo illius vniamur *Divinitati*.

CAPVT IV.

Victima Templi Mystici

PEr victimã hîc mortificationẽ intelligi volum⁹, interiorẽ, & exteriorẽ. Sed ita, vt ab ãore Sacerdote ĩmoletur, ad quẽ et reliqua tẽpli mysticà omninò spectare vo-

lumus

lumus. Nam quidquid ſine hoc in templo fit, totum illegitimũ eſt & ſpurium. Interior igitur Mortificatio, (vt communi & vſitato vocabulo vtar,) ſita eſt in voluntatis, judicij, et phantaſiæ noſtræ moderatione. Voluntas optimè & Sanctiſsimè dirigitur, cùm ad ea ducitur amplectenda quæ voluntati Divinæ, ſivè illa ſcripta ſint, ſive inſpirata, conformia ſunt; legibus nempè DEI, naturæ, Eccleſiæ, cujusq; ſtatûs proprijs, non abſona. Inſpiratã dicimus voluntatis Divinæ regul am; quæ vel à cæleſti genio, vel à pio doctoq; homine, vt sũt confeſſarij, ſpirituales Patres, devoti viri; vel ab audito, lecto-

que

que sacro aliquo sermone, proficiscitur. Huic enim obtemperantes innumeri salvi fiunt, & sanctissimi evadunt. Sic Angelus Virginem Augustissimam ad consentiendum Divinæ incarnationi legatione suâ traxit svaviter ac felicissimè? Sic Theresia piorum doctorumq; virorũ consilijs admirabiliter in Spiritu profecit, & admiranda patravit. Sic sapientissimus & sanctissimus Pater Augustinus & Ambrosianis concionibus, & Paulinæ epistolæ vnicâ duntaxat periodo, ad Orthodoxam fidem, morumq; sanctimoniam conversus est. Sic Antonium Magnum audita illa verba Domini

mini *Si vis perfectus eße, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus*, nudum eremicolam, & verum Christi sectatorem fecêre. Sic Ioannes Columbinus, dùm impatientem famem cibo spirituali, nimirùm lectione vitæ *D.* MARIÆ ab Ægypto nominatæ, solatur, ipse convertitur Ad tales igitur inspirationes homo Christianus invigilare continuò debet easq; executioni solidæ mandare. Svaserim tamen cum prudentum approbatione, etsi illâ memorati Sancti vsi non fuere. Neq; enī aut illa Maria peccatrix consuluit quenquam, quid ei foret agendum, cùm internè moveretur.

vt ex tem-

vt ex templo rectâ ad eremũ tẽderet suæ juuentutis maculas mundatura ac emendatura : aut alij quoq; pari spiritu abrepti, interrogavere aliquem ; nùm ad bonam frugem esset eundum ? Qui nos retrahit à vitio ad virtutem, à malo ad bonum, à peccato ad pænitentiam, non indiget spiritus examine. Orcus enĩ talia nunquam solet svadere. Consultorẽ non expectat, quẽ æterna sapientia docet, simulq; movet ad agendum. Quin periculosum est aliquando, præsertim pluribus, nec timoratis, aut æmulatione, aliouè occulto animi morbo laborantib⁹ se revelare. Quãquã non impugnẽ sui manifestationẽ, non vtil ẽ mo

do sed

do ſed & neceſſariam, at huiuſmodi perſonis, quibus diſcretio ſpirituum collata; qui non modò norint, quid à DEO proveniat, ſed velint etiam juvare eos, qui tali ducuntur viâ; cenſeo faciendam. Sit exemplo nunquã ſatis laudanda Virgo Thereſia. de cuius Heroicis auſis, ac Seraphico ſpiritu, quàm diverſa, doctì etiam, pijq; viri ſentiebant! Alij illuſam, alij obſeſſam, amentem alij, putavêre; pauciſſimi rẽ probabant, niſi effectu ſecuto. Scilicet ex eventibus facile bona diſcernimus à malis omnes; at antè hos rari poſſunt, aut audent definire hac in re aliquid, niſi quibus hoc donum

ſingulariter à Deo collatum eſt. Simplex anima, Deo fidens, humilis, nihil præterquám Dei placitum attendens hac in ſemita non errabit. Scriptam divinæ Voluntatis regulam dicimus illam; quæ nobis in eius præceptis, conſilijs, & doctrinis Euangelicis, legibus & mandatis, & ſtatutis, & ritibus, & conſvetudinibus Eccleſiæ receptiſsimis; tùm &in civilibus æquitati conſentaneis, & religioni, immunitatiq́; ac dignitati ſpirituali non adverſantibus, exarata eſt. Addo religioſorum Ordinum, diverſarumq́; ſocietatum regulas, eiuſdemq́; generis alia, præſertim authoritate Sanctiſsimæ Sedis

dis Apostolicæ cõprobata Quibus, quicunq; amore DEI volũtatẽ suã subijcit, non admittẽdo solùm ea, verũ etiam implendo; is profectò sibi mortuus, DEO vivere censendus est. Verùm ad illud etiam genus mortificãdæ Voluntatis veniamus, per quod alienæ voluntati ac imperio, nutibus ac regimini se spontè subdit, existimans id esse DEO, acceptissimam victimã. Et reverâ negari hoc nequaquã potest, quod ipse Divinus spiritus in sacris literis expressè testat⁹ est, cùm per Samuelem Sauli intimaret: *Meliorem esse obedientiam, quàm victimam. Per victimam quippè* obseruãte Magno Grego-

rio, *aliena caro ; per obedientiam verò propria Voluntas mactatur.* Talem nobis ipse Præceptor cælestis mortificationem, non verbis tantùm, sed maximè exemplo suo commendavit. Nàm & cibum suum esse dixit impletionem Paternæ voluntatis ; & in horto Olivarum instituens Orationem satis ferventem & prolixam, quia ter repetitam, integrè voluit æterni Genitoris nutum in calicis amarissimæ Passionis evacuatione sequi, & exequi. Proindé tàm excellenti cócitatis animis exemplo, non arbitror opus esse stimulo sermonis. Cui Christi vitâ ac doctrina virtutem & sanctimoniã non per-

persvadet, quis persvadeat? Itaque hoc vnicũ tantum hîc moneo: rem esse præclarissimam, DEO gratissimam, homini salutarem; alienam potiùs quám suam sequi Voluntatem in omnibus, vbi non apparet evidens malum, nec vnquam illudi posse illi à malo genio, qui se alienæ conformat voluntati, modò illã Voluntatem non esse ab eodem occupatam agnoscat, quod fieret, si peccatum, vel error imperaretur, aut imponeretur, aut svaderetur. Quid deindè dicam de Iudicio? *S*anctissimus ille Oratorij IESV *I*nstitutor, & illuminatissimus rerum spiritualium Doctor, Philippus Nerius,

per hujus Mortificationem, suorum spiritum explorabat. Cùm enim videret aliquos facilè cedere in discursu bonis etiam rationibus firmato, plurimùm eos probasse dicitur: duosq; digitos fronti applicans, in ijs sanctimoniam consistere ajebat; per id Voluntatis ac judicii mortificationē, vt opinor, innuendo. Neque ego his adijcere quidquam audeo. Virtus est insignis & rara; sinere se vinci ab alio, cùm præ manibus habeas victoriam. Nolo tamen ibi quenquam tacere, vbi necessariò loquendū; neq; cedere, cùm vincere debeat; si præsertim vel sententia periculosa, vel minùs probabilis do-

lis doctrina, aut ſanè iam reprobata promovetur, vel defenditur. Talibus ego à colloquijs longè ipſe fugere cupio, & opto ſemper abeſſe ; quodſi adſim, non cedere à propugnatione, defenſioneq; veritatis. Phantaſiam deniq; mortificare ac frenare tùm debebis, cùm tibi in eam ſpecies influent minùs honeſtæ. Immò vbivis, huic equo effrenatiſsimo attendendũ eſt, cùm nobiſcũ ſit vbivis. Quodſi illum nolis ita coercere, vt cerebrum aut caput lædas, quod ipſe non conſulo; ſaltem agenda age conſtanter, inſolentiam phantaſiæ non moratus, donec iſta rationi ſubeſſe conſueſcat.

Phantaſia bucephalus ille eſt, quem ſolus Alexander tractare potuit, & ſcivit. Hîc nos op⁹ eſt Alexandros eſſe.

Exteriorem quoq; Mortificationem nè contemne : ſalutaris eſt, & perquã opportuna. Quid enim homini vel ad æternam gloriam, vel ad proximorum ædificationẽ conducibiliùs, quã ſollerter, & prudenter eniti, ſenſus vt quilibet officio ſuo fungatur. Continebis igitur in Vincẽtiana ſphæra, intra ſtaturã, in quã tui corporis, oculos; non extendes man⁹ ad illicita; non exquires in cibo potuq; nimia, vel ſapida; colloquia prava, quæ bõos mores corrũpũt, vitabis; & ſurdis auri-

auribus adulationes, murmurationes, susurrationes, infamationes, iniquas accusationes, inanes querelas, irrisiones, reprehensiones, pariaq; monstra præteribis: nam turpia, & obscæna, ecquis inter Christianos patiatur, non modò audiat? De odore nihil dico. Spero fore, vt non appetas balsama, rosas, Cyprios pulveres, pigmentaq; & vnguenta alia; Sed sis potiùs daturus operam, vt sis bonus odor Christi. Cætera huiusmodi pẽsiculatiùs infrà fusiùsq; proponemus. Corporis ad extremum afflictatio nequaquam est posthabenda; verùm tantò duriùs tractandum, quantò insolentiùs

recalci-

recalcitrat, vt omninò sit subiectus Asinus iste rationi. Si ergô tibi communia jejunia, ad necessariò deprimendam carnem videntur non sufficere, adhibe privata: adijce quoq; flagellationes, humicubatiões, vigilias, manuales labores; tamq; diù fatiga effrenem hanc bestiam, donec conquiescat, & ad nutum spiritûs paratissima sit cõtinuó. Multi svadent, nec ineptè aliquando, rationem hîc habendã sanitatis: quibus licet non dissentiam, clamabo tamen semper, nè ita corpori indulgeas, vt animum perdas; sed vterq; simul Deo cedat in victimam. Præterea, nè putes me id, quod opti-

optimum eſt, & ſolum conſtituit hominem ſapientem, & ſanctum, tranſilire, paſsionum ſcilicet, vt loquimur, temperationem: permitto tibi, vt iraſcaris; at ſine peccato: gaudeas; at in *Domino*: doleas; at quod ſummum bonum DEVM, vel proximũ, aliquando offenderis: ſperes; ât regnum cæleſte: mærore contabeſcas; at ex pænitudine vel malorum commiſſorum, vel omiſſorum bonorum: timeas; at nonniſi *D*EVM, vt filius patrem: ames; at eundem ſolum, aut eius cauſa proximum, multò magis inimicum. Omnia cũ Patavino numine Antonio hac brevi paræmiâ complector.

Quemad-

Quemadmodùm navis ortâ maris tempestate facilè submergitur, nisi gubernator suâ industriâ regat; si affectiões ad deteriora rapiunt hominem, nisi rectâ ratione gubernentur. Cave sis igitur, optime nauclere, nè navis animi tui à portu cælesti aberret: velis remisq; eò contende, fluctuum ac procellarum Neptuni more dominans; *sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Victimam habes! advoca sacerdotem: Amor solus offerendæ istius munus habet. Finire iam volebam, cùm in mentem irruit pro fine illud imit. Chr. l.3. c.35. *Pro amore* DEI *debes omnia libenter subire, labores scilicet & dolores, ten-*

tationes

tationes, vexationes, anxietates, necesſitates, infirmitates, injurias, oblocutiones, reprehenſiones, humiliationes, confuſiones, correctiones, & deſpectiones. hæc fabricant cæleſtem coronam : hæc ſunt victima grata DEO.

CAPVT VII.

Incenſum Templi myſtici.

ERat altare Ieroſolymis in illo magnificētiſsimo Salomonis opere, quod propriè adolēdo incenſo ſerviebat. Oſtendim⁹ paulò ſuperiùs, hominis Cor, eſſe altare; an non ex eo prodire debet continuò fragrantiſsimum incenſum in conſpe-

conſpectum *Domini*? Orationē intelligo. Ad quam nos Apoſtolus incitans: *Sine intermiſſione* (ait Theſ. 5. 17.) *orate*. Profectò deſolatiſsimum cenſeri poteſt hoc Templum DEI myſticum, in quo thus orationis aſsiduæ non incenditur. Orandúm igitur eſt, mente, voce, ſuſpirijs, lachrymis; & talis orationis fragrantiâ, quidquid in nobis eſt fætidi, fugandum. Optimè præcipit *Bernardus*: *Vbicunq; fueris, intra temetipſum ora. Si longè fueris ab oratoriò, noli quærere locum, quoniam tu locus es. Si fueris in lecto, aut in alio loco, ora, & ibi eſt templum.* Qui taliter orationi inſiſtit, & ſeſe in ea iugiter

exercet

exercet; non modò omnia ſua delicta graviſsima licet, eluet; ſed in eam ſe Dei familiaritatem inſinuabit, vt iam non ſit futurus ſervus, ſed amicus, immò filius, ita quidem *D*eo conjunct⁹ vt omnia apud Devm, et cum eo, perq́, eum poſsit. Hinc ad memoratam Incenſi Aram Ven. Beda ſe reflectens: *Hoc altare* inquit, *erat iuxtà oraculum, id eſt, Sancta Sanctorum; hoc eſt, in domo exteriori, ſed propè oſtium interioris. Hoc altare typus eſt perfectorum, qui carne adhuc in mundo retenti, ſed omni deſiderio ad cœleſtia ſuſpenſi, veluti incenſo thure fumum aſcendentem in Sancta Sanctorum emittunt: quia ſuperno*

no amore flagrantes crebris oratio-nibus aures sui pulsant Authoris, quantòq; mundiores, & cælo vici-niores, tantò citiùs à Domino, quæ poscunt, accipiunt. In hoc altari non carnes victimarum, sed sola in-cendebant thymiamata: quia tales non adhuc peccata carnis, & illece-bras cogitationum in se mactare o-pus habent; sed tantùm orationum & desideriorum spiritualium odo-ramenta per ignem interni amoris in conspectu conditoris offerunt. Hæ tales animæ orationis intē-tæ studio, plùs juvare possunt Ecclesiam totam vno momen-to; quàm prædicatores vniver-si concionibus, Doctores Lecti-onibus, confessarij administra-

tione

tione pænitētiæ. Poſſunt mortuos excitare ad vitam, malos ad bonam frugem revocare; poſſunt integros exercitus delere, famem avertere, peſtem fugare, omnia efficere duobus brachijs inter orandum fulti, fide, & charitate. De talibus videtur locutus eſſe Deuteronomij ſcriptor c. 33. *Ponent thymiama in furore tuo, & holocauſtũ ſuper altari tuo.* Quod ordinarius interpres ita mihi elucidans: *Sanctorum, inquit, oratio ſuauiſsimum incenſum Domino; quo* (peccāte populo) *Domini furor mitigatur: quia ab omni terrena ſorde defæcata, cæleſti deſiderio ignita, in conſpectu* Dei *flagrat*

grat, & quasi holocaustũ ab ara pij cordis flãmâ devotionis subvolat. Ergò tibi, ô Christiane! statas preces dispone, quas nunquã intermittas, cõsilio prudẽtis & pii viri, quod innuerim salubriter, approbandas. Assuesce quoq; piè recolendæ passioni *Dominicæ*; quatuor novissimis, vitæ IESV Christi Virginis sanctissimæ, *Divorumq́*; cælo receptorum; vt pietatem hanc exercens purgeris, illumineris; imitationiq́; insistas eorum, quorum post fata desideras inseri consortio. Amor DEI cremabit hoc incensum, licet non sine auxilio humilitatis: Si nãq; fueris humilis, vt quidam Diuorum

rum aiebat, Sanctus te Spiritus orare docebit. Ipſe tibi ſuppeditabit incenſum, ipſe accendet, ipſe promouebit flammas, & odorem ſvaviſsimum ipſe acceptabit.

CAPVT. VIII.

Lucerna Templi Myſtici.

MAndatum (inquit ſapiens Pr. 6. 23.) *lucerna eſt, & lex lux.* Hæc in Tẽplo Myſtico ante ipſam cordis aram nunquam non eſt arſura. Cur ita? *Nam præceptum Domini lucidum illuminans oculos* (Pſ 18. 9.) immò veſtigia, vt idem alibi dicebat, *lucerna pedibus meis*

verbum tuum, lumen ſemitis meis. Sicut enim face prælatâ ſcimus, quâ ſit eundum, nec in devia labimur; ita mandatis DEI defixis in pectore, lucentibus in animo, videmus optimè vitæ præſentis inſtituẽdæ rationem, & his eam conformãtes, à felicis æternitatis tramite nequaquã deflectemꝰ. Principio quidẽ genꝰ mortale, naturæ ductũ, rationisq́; lumẽ in vita, ſuisq́; actionibꝰ ſequebatur; at vbi natura vitijs corrupta, ratio peccatorũ habitibus infuſcata eſt, legem poſuit nobis DEVS. viam iuſtificationum ſuarum, vt exquiramus eam ſemper. Hac denique partim per ineptas Hebræ-

bræorum interpretationes, partim per curiosas superstitiones, iterum collabēte; adfuit nobis ipse legislator Christ⁹, DEI fili⁹ incarnatus, qui, *non venit solvere legem, sed adimplere*, eamq; suis factis ac dictis firmavit sic, vt meritò sit habendus LVX, *quæ illuminat omnem hominē venientem in hunc mundum.* Ecclesia tandem Catholica, extra quam non est lumen, non veritas, adjecit quoq; divinis mandatis sua præcepta, non equidem novi aliquid præter mentem Legis latoris inducendo, sed eius leges suis circumvallando; vt quasi subsidiariæ cohortes, præ castris Domini

 exer-

exercituum excubãntes videã-
tur. Politici deniq; Cætus, ſu-
is ſe legibus, & vniuerſæ nati-
ones diverſis ritibus munire vo-
luêre. Quæ omnia, cùm iuncta
ſunt, vt iam ſuperius innuimus,
& non niſi ad ſanctã felicemq;
vitam, Eccleſiæ præclarum re-
gimen & regnorum conſerva-
tionem ac decus pertineant;
omninò ante oculos habenda
ſunt, in pectore, in mente, in
voluntate. Exploſerit aliquis
meritò ridiculam Hebræorum
devotionem, DEI mandata vel
collo appendentium, vel val-
vis domeſticis, ſine obſeruatio-
ne includentium, Chriſtianum
verò decet illa tenere memo-
riâ,

riâ, expendere intellectu, actione implere. Atq; hoc ipsũ, Rex iustus cecinit Ps. 36. 30. *Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium. Lex* DEI *eius in corde ipsius, & non supplantabũtur greßus eius.* Exẽplum hîc præstat ille senecio Eleazarus, Israelita verus: qui maluit oppetere mortẽ, quàm carnes vetitas, etiam simulatoriè, non citrâ scandalum, sumere. Præstat & illa Machabæa Heros cum septem filijs, quos præmisit per diros cruciatus ad astra, ne violarent patrias leges atq; consuetudines. Pudeat frigidum Christianum ferè quotidiè aliquid legum suarum infringe-

fringere, cogitando ſaltem, aut loquẽdo, etſi non agendò. Præterea illud hîc non obiter notandum. In ſeruandis quibuſvis legibus ordinem rectum ſervandum eſſe, ita, vt primus honos divinis, deindè Eccleſiaſticis, proſtremò civilibus habeatur, Propterea videant Pſeudopolitici; nùm illa bona ſit *ratio ſtatûs*, quæ legem Dei, vel Eccleſiæ oppugnat? nè maledictam dicam, iam eſt. Tu tamẽ, qui ad meliora anhelas, & eſſe perfectus vt Pater cæleſtis deſideras, ſimpliciter *ſerva mãdata. Si vis ad vitam ingredi*; (veritatis vox eſt) *ſerua mandata.* ſi te non vis luce rationis,

& Di-

& Divinæ viſionis privare; *ſerva mandata.* ſi non vis per devia graſſando ad tartara delabi; *ſerua mandata. Mandatum lucerna eſt, lex lux*: quæ quàmdiù in Templo noſtro myſtico lucet appenſa, clarùm tuemur, & rectâ vadimus ad ſuperos. Mandatum, eſt columna illa, nocte ignea, die nubila, quâ ducimur ad æternæ promiſsionis terram, certi, nos eò hac luce duce perventuros. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie* (inquit *Devs* Deut. 30.) *non ſupra te eſt, nec procul poſitum; ſed iuxtà te eſt, ſermo valdè, in ore tuo, & in corde tuo, vt, facias illum.* Quo fine! vt inhabitet in te

Christus. Audi illum. *Si quis* (disserit Ioan. 14 23.) *diligit me, sermonem meum servabit*, nempè *mandata*; *& Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* O beatissimas mandatorum Dei custodes; quos non solùm levat ad astra Devs, verùm etiam descendit ad illos, & ceû in solio excelso, ceû in empyrea domo, ille qui lucem inaccessibilē inhabitat, manet regnatq; in illis! O felix Templum, in quo Lucerna hæc mandatorum Dei nunquam extinguitur! Functus est antè non paucos annos vitâ hac mortali plurimis à magnis virtutibus & sanctimoniâ morum

rum commendatus, & amatus, Pater Ioannes Dominic⁹ à Cruce ſcholarum Piarum in Provincia Polona decus inſigne, & propè Fũdator, tùm verò Præpoſit⁹. obitum illius lampas ante Sanctiſsimum appenſa nullâ vi humanâ aut caſu phyſico impellente, corruens præſignavit. Amabat enim ille, vehementemq; diligentiam ſemper adhibebat, vt nunquam lumen hoc exiguum Lumini illi æterno ac immenſo IESV Chriſto, ſub ſpecie panis inter nos latitanti, deeſſet. O Chriſti amator! quàm ſanctè ſapienterq; feceris, ſi nunquam lampas, aut lucerna DEI mandatorum, in

Te

Te corruat! Corruet? tu quoq; ruinæ ſpirituali proximus graviore mortè ſuffocabere. *Anima* enim *quæ peccaverit* (effatus per Ezechielem DEVS) *ipſa morietur*. Vt æternùm vivas, æternum ignem more Veſtaliũ ale in te lucernæ Divinæ Legis. Hæc lucerna ardens & lucens in manibus tuis Divinæ viſionis ad lucẽ te deducet. Nec vano poſt fata voto canetur illud tibi epinicion: Lux æterna luceat ei; quia pius eſt. Vixit, lucendo, luceat moriendo.

CAPVT IX.

Ornamenta Templi Myſtici.

QVòd hominis Chriſtiani potiſ-

potiſsimum ſit ornamentũ virtus, id præclarè ſatis docet mellifluus Bernardus, cùm primum hominem contemplatus ita fatur. *Videre mihi videor quatuor virtutibus amictum hominem primum; Miſericordiâ ſcilicet, & Veritate, Iuſtitiâ, & Pace, ab ipſo ſuæ creatiònis exordio: & vt Propheta meminit veſtibus ſalutìs indutum. Eſt enim in his quatuor ſalutis integritas, nec ſine his omnibus poteſt cõſtare ſalus; præſertim cùm nec poßint eße virtutes, ſi ab invicem ſeparentur. Acceperat enim homo miſericordiam cuſtodem ſcilicet atq; pedißequam; vt ipſa præveniret, atq; ſequeretur eum, ipſa protegeret, & conſerua-*

servaret vbiq́;. Vides, qualem nutritium contulit parvulo suo DEVS, qualem dedit pedissequam homini recens orto. Sed illi necessarius est eruditor, tanquam ingenuæ & rationali creaturæ, vt non sicut jumentum aliquod custodiretur, sed tanquam parvulus educaretur. cui sanè ministerio nemo poterat inveniri, quàm veritas ipsa, quæ eum in agnitionem summæ perduceret aliquãdo veritatis. Interim verò nè sapiẽs inveniretur, vt faceret malum, esseté; peccatum, & tanquam scienti bonum & non facienti; iustitiam quoq; quâ regeretur accepit. Adhuc autem & pacem, quâ foveretur, & delectaretur, addidit manus benignissima

Creatoris. pacem vtique duplicem; vt nec intùs pugnæ, nec foris timores, id est: nec caro concupisceret adversus spiritum, nec eßet ei creatura vlla formidini. Quid huic deerat, quem misericordia custodiebat, docebat veritas, regebat iustitia, pax fovebat? sed heu! homo iste descendit ab Ierusalem in Iericho, & incidit in latrones, à quibus antè omnia legitur spoliatus. An non despoliatus, qui Domino veniente, nudum se eße conqueritur. Timui, inquit, eò, quod nudus eßem. Nudi & nos fuim⁹; at vestivit sua Tẽpla DEVS nobilissimis atq; splendidissimis peristromatibus, naturalib⁹ supernaturalibusq; dotibus, nem-

pè

pè virtutibus. Quarum quidē Theologicæ præcellunt, vt potè sine queis acquiri salus æterna non posſit, adeoq; meritò, & propriè dici queāt Veſtimēta salutis. *Nam ſine fide impoſsibile eſt placere* DEO : *ſpes autem non confundit : Charitas deniq;* DEVM *apprehendit.* Prioribus in præſenti vita ſolùm ornamur; Charitatis verò ſplēdorem etiam beati retinebimus. Quocircà ille Charitatis Apoſtolus, qui cupiebat anathema fieri pro fratribus, nullum magis atq; Charitatis ornamētum ſuis cōmendans Corynthijs, immò Chriſtianis vniuerſis, hanc excesſivo penitùs calamo ſic depin-

pingit. *Si lingvis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam; factus sum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens.* Abundabāt ære Corynthij, abundare illos volebat charitate, quâ hominem deſtitutum æri ſonanti, cymbaloque tinnienti (in oculis illorū hæc verſabantur) comparavit. Pergit vltrà. *Etſi habuero prophetiam, & nouerim myſteria omnia, & omnem ſcientiam; etſi habuero omnem fidem ita, vt montes trāsferam; charitatem autem non habuero, nihil ſum. Etſi diſtribuero in cibos pauperū omnes facultates meas, etſi tradidero corpus meum ita, vt ardeam;*

charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Charitas patiens est, benigna est, (specta, specta colores charitatis) *Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa; non quærit, quæ sua sunt; non irritatur, non cogitat malũ; non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* Quot ornamenta Templi Mystici in vna Charitatis effigie expressa! Verum & castitate debemus lumbos præcinctos gerere, & in patiẽtia animas posſidere, & modestiâ innotescere, & humilitate exaltari: quæ licet vide-

atur

atur abjecta, neq; magnificentiæ convenire; optimè tamen & verisſimè quidam de illa in vita Ferdinandi Rom. Imp. pientiſsimi & fortiſsimi. *Eſt*, ait, *apud Chriſtianos humilitas, quæ Maieſtatem non dedecorat; ſed ornat.* Prudentiam hîc, iuſtitiam, temperantiam, fortitudinem non explico; tùm, quòd ad ciuilem magis vitam, quàm ad myſticam ſpectant doctrinam, niſi certo modo, non Philoſophico, ſumptæ; tùm quòd ſequenti capite in candelabro myſtico lucebunt, tùm, quòd cum vna virtute ſolida omnes ferè inueniantur, Ita docet Macharius hom: 40. *Hoc ſcito-*

te, dilecti; virtutes omnes inter ſe colligatas eſſe. Tanquam enim catena Spiritualis vna dependet ab altera: precatio à dilectione, dilectio à gaudio, gaudium à mãſuetudine, manſuetudo ab humilitate, humilitas ab obſequio, obſequium à ſpe, ſpes à fide, fides ab auditu, auditus à ſimplicitate. Haud ſecùs quàm in aduerſaria parte vitia dependent, vnum ab altero: odium ab ira, ira à ſuperbia, ſuperbia à vana gloria, vana gloria ab infidelitate, infidelitas à duritia cordis, duritia cordis à negligẽtia, negligẽtia ab ignavia, ignavia ab acedia, acedia ab impatiẽtia, impatientia à voluptate, & reliqua vitiorũ mõſtra inuicẽ

depen-

dependentia. Ita etiam circa bonam partem virtutes à se mutuò manant, & dependent. Sed & hæc ornamenta pertinent ad amorem Sacerdotem. Nisi enim amore DEI virtutes exerceantur, meriti sunt nullius apud DEVM, Vt hæ Templo mystico, ita pretium illis & splendorem parit Amor.

CAPVT X.

Cādelabrū Templi Mystici.

LEgitur Moyses Divini cultûs propagator zelantissimus (Exod. 37.) non exiguæ molis candelabrum, neq; mediocris artificij, septenis radijs totidem lumina

mina præferentibus conſpicuum, tabernaculo Domini appendiſse. *Fecit* (vt refert ſana pagina) *& candelabrum ductile de auro mundiſsimo, fecit & lucernas ſeptem.* Væ nobis! niſi in Templo noſtro myſtico ſimile candelabrum habeatur. *Candelabrum enim iſtud* (inquit Iſidorus) *ſeptem ramorum Spiritûs S. gerebat imaginem, qui ſeptiformi gratiâ illuſtrat Eccleſiam omnem in vnitate fidei conſiſtentem.* Hoc igitur ſepteno divini Spiritus lumine quemlibet Chriſtianum coruſcare neceſſe eſt, ſi vera & genuina ſoboles Chriſti haberi velit. De quo clariſsimè vtiq; ad propo-
ſitum,

ſitum, Iſaias vates c. 11. *Egredietur* ait, *virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum Spirit⁹ Domini Spirit⁹ ſapientiæ & intellect⁹, Spirit⁹ conſilij & fortitudinis, Spirit⁹ ſcientiæ & pietatis, & replebit eũ Spirit⁹ timoris Domini.* Ac de ſapientia quidẽ illud ſentiẽdũ eſt: eam in Chriſtiano homine debere eſſe cæleſtẽ, non humanã. *Huius namq́ mundi* (teſte Gregorio) *ſapientia eſt; cor machinationibus tegere, ſenſum verbis velare; quæ falſa ſunt, vera oſtendere; quæ vera ſunt, falſa demõſtrare. Hanc ſapientiam qui ſciunt, cæteros deſpiciendo ſuperbiunt; hanc qui neſciunt, ſubiecti & timi-*

timidi in alijs mirantur; quia ab eis diligitur, dùm huiuſmodi mẽtis peruerſitas vrbanitas vocatur. At contra ſapientia juſtorũ eſt: nihil per oſtenſionem fingere, ſenſum verbi aperire; vera, vt ſunt, diligere: falſa deuitare; bona gratis exhibere; mala libentiùs tolerare, quàm facere; nullam iniuriæ vltionẽ quærere; pro veritate contumeliam lucrum putare. Sed hæc iuſtorum ſimplicitas (addit idem) *deridetur: quia ab huiuſmodi ſapientibus puritatis virtus fatuitas creditur.* Qui tamẽ, in Iudicij Divini decretorio Die, ſecundùm DEUM ſapientibus poſtpoſitis graviter ſtultitiæ ſuæ ſuccenſentes,

quam

quam tùm agnoſcent, & præ anguſtia Spiritûs gemẽtes querentur acerbiſsimè. *Hi ſunt* (in digitabunt propter Chriſtum stultos) *quos habuimus aliquando in deriſum, & in ſimilitudinẽ improperij. Nos inſenſati vitam eorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Ecce quomodo computati ſunt inter filios* Dei, *& inter ſanctos ſors illorum eſt.* Scientiam hîc deindè earum rerum notitiam intelligo, quæ ad ſalutem neceſsariæ ſunt. *Quid enim prodeſt,* (vt ait ille) *magna cavillatio de occultis & obſcuris rebus, de quibus nec arguemur in judicio, quia ignoravimus! Melior eſt profectò humi-*

humilis rusticus, qui DEO *servit, quàm superbus Philosophus, qui se neglecto cursum cæli considerat. Quanquam non est culpanda scientia, aut quælibet simplex rei notitia, quæ bona est in se considerata, & à* DEO *ordinata.* Ad Intellectum autem pertinet rerũ discrimen, & vsus ordinatus; prout de Servatore nostro Propheta dixit: *Butyrum & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum.* Consilium docet; quid, quo loco, quovè tẽpore, quibus medijs, quo fine sit agendum? quo pacto mala cauenda? quibus modis virtutes comparandæ, ac retinendæ? quâ viâ scandendum cælum?

lum? Fortitudo in arduis amore Dei aggrediendis, & constanter perficiendis tentationibus, in adverſis læto animo perferẽdis, in proſperis modeſtè nec inſolenter admittendis, locum habet: iuxta illud Poëtæ. *Æquă memento rebus in arduis ſerVare mentem; non ſecùs in bonis ab inſolenti temperatam lætitia.* Pietas ad cultum DEI ac religionem, honoremq́; & amorem parentibus ac maioribus præſtandum ſemper pertinet. Timor denique Domini avocat à malo. Omnia hæc ſpectanda ſimul in Martyribus. Evangelicã potiùs quàm Philoſophicam doctrinã fuêre am

plexi

plexi? hoc erat ſcientiæ. Chri-
ſto contempto & crucifixo ad-
hæſerunt? hoc erat ſapientiæ.
Æterna bona fluxis prætule-
runt? hoc erat intellectûs. Ad-
ibant vitæ periculum & de-
clinabāt aliquādo magni boni
causâ? hoc erat conſilij. Quoſ-
vis cruciat⁹ pro Chriſto ſpon-
tanâ generoſitate ſuſceperunt?
hoc erat fortitudinis. Fidem
DEo promiſsam ad exitum vſq;
ſervarunt? hoc erat pietatis.
Temporaneam malebant ſub-
ire mortem, quàm DEI gratiæ
jacturam pati? hoc erat timo-
ris Domini. *Donum quippè Spi-
ritus* (perficio meum candela-
brum cùm Greg. mor. 2. c. 1.)
vt con-

vt contra singula quæq; tentamenta mentē erudiat, in septem virtutibus tēperat: vt contra stultitiā sapientiā, cōtra hebetudinē intellectū, cōtra præcipitationē consiliū, cōtra timorē fortitudinē, contra ignorantiā scientiā, contra duritiam pietatem, contra superbiam det timorem. O Lumē septiforme, illabere pectorib⁹ nostris, & hæc æternum inhabita!

CAPVT XI.

Cōcionator Templi Mystici.

QVisnàm est Cōcionator Templi nostri ordinarius, tàm ardēs, vt nunquam frigeat; tàm severus,

rus, vt nunquã blandiatur; tàm diligẽs, vt maximos minimosq́; defectus nostros illicò nobis indicet, & arguat, & corrigendos monstret & vitãdos intonet? Cõscientia est, quæ hoc tali munere Cõcionatoris apud nos fungitur, vigil, non dissimulãs. Nescirem, quid Caino vultum mutaverit post despectum eius à DEO sacrificium, ita, vt DEVS ipse, debuerit illum interrogare: *cur concidit facies tua?* nescirem, inquam, huius rei caussam, nî sapientissimus Ambrosius sapienter investigatam his mihi verbis aperuisset. *Cain tristis fact⁹ est: quia in propria conscientia intellexit, DEI sacrificiũ*

suum

ſuum non probatum. Non reſpexit DEVS ad munera Cain; & en ſubitò Concionator idoneus ac præſtantiſsimꝰ clamare. Quid egiſti? cur tua dona non recepta? intentione forſan pravâ obtuliſti? ideò tibi DEVM propitium non reddidiſti, ſed potiùs infenſum feciſti, quid egiſti? Huius Concionatoris vocibus Cain propè exanimatꝰ totis genis pallebat. Quid ſimile evenit Abimelecho Regi Palæſtinorum, qui cùm vidiſſet Iſaacum auctum divitijs, & opulentiâ, clarum in ſuo regno peregrinum, concitatus ab invidis ei Palæſtinis, movit illum extra

Provin-

Provinciam, iuſsitq; procul ex-
eſse regno ſuo. *Recede à nobis* (dicebat Gen. 26. 16) *quoniam nobis potentior factus es valde.* Paulò poſt autem, dûm conſiſteret Iſaacus in Berſabee, nihiloſeciùs atq; in Palæſtina potens, adit illum Abimelechus cum duobus alijs amicis. Et, *Sit juramentum* (ait) *inter nos, & ineamus fœdus, vt non facias nobis quidquam mali.* Quis tibi, Abimeleche, timorem incuſsit Iſaaci potentiæ? quis perſvaſit cum eo reconciliato perpetuò paciſci? Fortis ille concionator Conſcientia, ſic enim ſentiens aurei oris Præſul: *Injuſtè,* inquit, *Iſaacum à terra ſua expulerant,*

lerant, & nunc vide, quomodo impellente conſcientiâ, ſemetipſos reprehendere feſtinant, cùm nullus alius cogat, vel facta obijciat. Vix extulerat è Palæſtina pedem Iſaacus, & ſubitò ſuus domeſticus præco Abimelechũ aggreſus intonat. Itanè hominẽ bonum ex tuo regno malè pepuliſti! itanè juſtũ iniquè extra limites eieciſti! Credis hoc tibi impunè ceſſurum? Putas non eſſe illum DEI patrocinio tectũ? Quin hic ipſe Abramides exceptam infamiã fortè non diſsimulabit. Novum igitur bellum temeritate tuâ tibi conflabitur. His permotus Abimelech⁹ conſcientiæ ſtimulis, acceſsit Iſaacum, deprecat⁹

 eſt, ſo-

eſt, ſolenni pacto ſibi reddidit amicum. Eiuſdem Iſaaci nepotes, apud Ioſephũ Ægypti Proregem, Fratrem ſuum, ſed ſibi non agnitum pranſuri, tàm vehementibus internis tumultib⁹ agitabantur, vt invicem pleni metu, & dubij ſecuritatis in mẽſa hoſpitali, nè dicam fraterna, diſceptarent: *Propter pecuniam, quam retulimus, introducti ſumus, vt involvat in nos calumniam.* Scilicet hoc Ioſeph manſvetiſsimus cogitabat. Sed, quod benè ãnotavit Lipoman⁹. *Tales impiorũ cõſciẽtiæ ſunt, vt etiã in proſperis expaveſcant. Malorum enim cùm ſibi conſcij ſunt, bona etiam mala ſuſpicantur, & quæ alijs ſecurita-*

curitatem facerent, & gaudium. Abieceratis olim, Iacobidæ, prandium veſtrũ, vendituri Ioſephũ Iſmaelitis! iuſtiſsimè nũc incitati ad eius convivium trepidatis, quaſi morituri. Meritò hæc patimini, quia peccaſtis in fratrem veſtrum. An non hoc vobis inculcat Orator veſter, Conſcientia? *B*eatus, qui huic Oratori attendit, ac obtemperat. Nec libris nobis opus eſſet multis, nec zeloſiſsimis prædicatoribus; modò vnius noſtræ conſcientiæ ſuſurris, & vocibus eſſemus intenti; nihil profectò mali, nihil inhoneſti, nihil impij admitteremꝰ: admiſsa verò protinùs elueremus, & cum of-

feſo DEO ſtatim à lapſu redirem in gratiã. Audiendus hîc Bernard' Med: C. 13. ſic diſſerens. *Peccata mea celare nõ poßũ; quoniã quocunq; vado cõſcientia mea mecum eſt, ſecum portãs, quidquid in ea poſui, ſiuè bonũ, ſivè malum. Servat vivo, reſtituet defuncto, depoſitum, quod ſeruandum accepit. Si malè facio, adeſt illa; ſi autem benè facere videor, & indè extollor, adeſt illa. Adeſt vivò, ſequitur mortuum, Vbiq; mihi gloria eſt, vel confuſio, inſeparabilis, pro qualitate depoſiti. Sic, ſic in domo propria, & à propria familia habeo accuſatores, teſtes, iudices, & tortores. Accuſat me conſcientia, teſtis eſt memoria, ratio iudex,*

volu-

voluptas carcer, timor tortor, oblectamentũ tormẽtũ. Nullus Cicero suum Verrẽ tàm efficaciter, quàm conscientia accusat, simulq; convincit, damnat, torquetq; simul ipso facinore peccatorem. Est autem hic accusator nobis adnexus, quod vel Romanus agnovit Sapiens, cùm dixit: *Nunquam fides latendi, fit etiam latentibus: quia coarguit illos consciẽtia, & ipsos sibi ostendit.* Ep. 97. Obsecundemus igitur consciẽtiæ, salvabimur. Null' nobis proximior monitor, nullus fidelior: modò illum nè corrumpamus, accomodando nobis magistros prurientes aurib'. Leo, quod in fabulis est, corru-

pto ſtomacho mephytim cæpit ingentem halare. Rogavit urſum, nùm eandem ſentiret? ingenuè reſpondentem, veritatis impatiens diſcerpſit. Rogavit & lupum: viſâ prioris nece, rē negavit. & hic ob purum putumq; mendacium laniat⁹. Tādem vocata vulpes, vt mortē ſenſit paratam, catarro ſe laborare finxit, nec poſſe dignoſcere obtuſo olfactu halitum leonis iuratiſsimè aſseruit. Talem nos quandoq; nobis conſcientiam conflamus ex fictione ac diſsimulatione. *Vulpina planè cōſcientia eſt* (ait Bernard⁹ med. 11) *tepida converſatio, animalis cogitatio, ficta confeßio, brevis & rara*

compunctio, obedientia ſine devotione, oratio ſine intentione, lectio ſine ædificatione, ſermo ſine circũſpectione. Ab huiuſmodi conſcientia, libera nos Domine. Non enim, tu ſecundùm hominem iudicas; ſed quemadmodùm ſcis omnia vt agũtur, ſic judicas. Planta ergo in me iudicium rectum; da rectam conſcientiam, & cõſcientiæ parendi promptam ac immutabilem voluntatem.

CAPVT XII.

Cantores Templi Myſtici.

AFfectus, homini Muſices loco ſunt: ſiquidem, *Nõ clamor, ſed amor, cantat in*

aure Dei. Affectus qui benè temperat, concordi ſymphoniâ Devm optimè laudat. En praxim aliquam huius rei identidẽ vſurpãdam, ex ipſo Regio Pſalte deſumptam damus. Vide, quàm bellè ad vnum Devm omnes affectus, diverſis licet vijs, tonis dixiſſe debui, tendunt!

Amor: { *Diligã te, Domine, fortitudo mea: Dominus firmamentũ meum, & refugium meum & liberator meus.* Pſal. 17.

Dolor: { *Tibi ſoli peccavi, & malum corã te feci; vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas, cùm iudicaris.* Pſal: 50.

Gau-

Gaudiũ	*Lætabimur in ſalutari tuo, & in nomine* DEI *noſtri magnificabimur.* Pſal. 19.
Mæror.	*Anima mea turbata eſt valde; ſed tu, Domine, vſquèquò. Converte: Domine, & eripe animã meã: ſalvum me fac propter miſericordiam tuã.* Pſal. 6.
Spes.	*In te, Domine, ſperavi, non confundar in æternum; in iuſtitia tua libera me. Inclina ad me aurem tuam, accelera, vt eruas me.* Pſal. 30.
Timor.	*Cõfige timore tuo carnes meas: à iudicijs enim tuis timui.* Pſal. 118.

Deside-rium	*Domine, ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus.* Psal. 37
Resi-gnatio.	*Notam fac mihi viam in qua ambulem; quia ad te levavi animam meam. Eripe me de inimicis meis, Domine, ad te confugi; doce me facere voluntatẽ tuam, quia* Devs *meus es tu. Spiritus tuus bonus, deducet me in viam rectam: propter nomen tuũ, Domine, vivificabis me in æquitate tua* Psal. 142.
Grati-tudo.	*Benedicam Dominũ in omni tempore, semper*

laus eius in ore meo. Psal: 33.

Huc spectant Suspiria.

Afflicti.	*Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt, de necessitatib⁹ meis erue me.* Psal. 24.
Pœnitentis.	*Dixi, cõfitebor adversum me injustitiã meam Domino; & tu remisisti impietatem peccati mei.* Psal. 31.
Tẽtati.	DEVS, *in adjutorium meum intende: Domine, ad adiuvandum me festina.* Psal. 69.
Infamati.	*Confundantur, & deficiant, detrahentes animæ meæ.*

mæ meæ: operiãtur cõfusione, & pudore, qui quærunt mala mihi. Psal. 70.

Circũventi. *Domin⁹ illuminatio mea, & salus mea: quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo.?* Psal. 26.

Offuscati. *Illumina oculos meos, nè vnquã obdormiam in morte, nè quando dicat inimic⁹ meus prævalui, adversus eum.* Psal. 12.

Plura istiusmodi hauriri possũt, tùm ex Psalmis Davidicis, tùm ex varijs variorum Divorum, ejaculatorijs. Quin immò necessitas Devsq; nos talia docet.

cet. Quapropter anima pia invigilet modò, nè à se per aliquam gravem culpam Numen optimũ expellat, & de similib⁹ nè sit nimiũ solicit a Regẽ seqũtur ubiq; Musici sui. Quodsi aliquid tribuendum est veterib⁹ bonæ tamẽ Philosophiæ magistris, monitaq; eorum non penitùs aspernanda; licebit mihi cum Tullio profari. *Concentu virtutum nihil est svavius.* Placet concentus hic summopere summo DEo, qui nos vult esse, ut est ipse, perfectos. O DEvs! *Viam iustificationum tuarum, instrue nos, & exercebimur in mirabilibus tuis!*

CA-

CAPVT. XIIII.

Ministri Templi Mystici.

QVinq; sensus nostri, ministri, Templi mystici, nõ immeritò dici queant. Verùm duob⁹, Auditu, Visuq́;, alteri reservatis allegoriæ, hîc tres tantùmmodò statuim⁹: Tactum, Gustũ, Odoratum. Ac Tactus inprimis, ritè si munere suo fungatur, plurimùm facit ad decus firmitatemq́; nostri Tẽpli: cùm laborib⁹ honestis provident manus corpori necessaria, nutriendo quoq́; illud, sublevando, tuendo; animo quoq́; prosunt, per exercitia, laudabilesq́; & pias occupationes, vel

cùm

cùm libros probatos volvimus, vel cùm ſcribimus utilia, atq; ſalutaria, vel cùm diſtribuimus eleëmoſynas, vel cùm proximo ſervimus ex charitate. Quidquid enim manus operantur, hoc ſub tactu comprehendim9, Abeſſe tamen volumus ab eo, quod corpus, vel animum coinquinarè poteſt; vt rectè cum regio Pſalte quilibet noſtrum canendo gloriari queat: *Lavabo inter innocentes manus: & circumdabo altare tuũ, Domine.* Cùm enim manus, non dico ab innocuo ſangvine, (quod inter Chriſtianos audiri nolim, non modò patrari) ſed à quovis opere non bono abſtinent; cordis munditiem,

tiem, quod eſt altare Tẽpli myſtici, cõſeruãt, immò ſic propugnant, vt defẽſores mænia. His nãq; corp⁹ affligitur, nè, iuxtà monitũ Pauli, *militet contra animam:* his formatur ſignum Crucis, quod fugat cogitationes nõ ſanctas, dæmoniq; aditum pènitus ad nos præcludit. Vtiliſſimus igitur, & perneceſſarius Templo myſtico, Tactus miniſter eſt, modò caveat à non tãgendis. Guſtus in ore ſedet: proindè quidquid ore agitur, poſſumus illi tribuere. Sanctiſsimum hunc miniſtrum dixeris, ſi laus illi DEI ſolius ſola ſapit. Huc aſpirabat David canendo: *Repleatur os meum laude, vt cã-*

tem

tem gloriam tuam, totâ die magnitudinem tuam. At cibum quoq; superfluè conditum; non modò superfluum, potumq; delicatũ non modò nimium, si fugeris, optimè gustus rationi serviet. Non urgeo, ut Cereri duræ asperæq; consvescas, aut eam cineribus, (quod tamen aliqui Divorum fecêre sanctissimè) conspergas, nè sapiat; nec volo, vt mel tuũ sit felli mixtũ, pect⁹, ĩqã non careat amaritudine, nisi te Devs ad hoc stimulet, ac juvet: sed illud audacter præcipio; donis istis nè delecteris, quin potiùs illũ benedicas & ães, qui tibi dat escã potũque in tẽpore opportuno, nõ ut vivẽdo edas, sed

ut edēdo vivas;nō vt fruaris, sed utaris, Dei donis, memor tamen abstinentiæ, jejuniorūq́;Christi, memor fellis & aceti, quod eius Majestati, dùm sitiret in cruce tui causa, propinatum est. Neq́; verò solus id age, verùm alijs etiam subtrahe, cùm potes, occasionem gustu peccandi. Malè fungitur hic servus officio suo, vbi estur, bibiturq́; continuò: vbi potatur, helluatur, diù noctuq́;. Olfactus postremò videri posset quibusdam Templo nostro minister minimè necessarius; nisi munus eius proprium scirem⁹ esse, arcendi vanos odores. Hac tempestate dubito hunc ministrum præ foribus Templi nostri

loco

loco ſuo excubare ; quin malè ſtertentem puto. Sic enim odoribus dediti ſumus,ut etiam veſtimenta illis inficiamus, non modò ſtrophiola, manicaſq; tota. Eheu ! qui ſumus nos, qui nihil ad nares niſi odoriferum, ſubmittimus? Excitate,oro vos, Chriſtiani, Olfactum turpiter ſepultum, excitate; vanam ut fragrantiam arceat à Templo DEI :niſi velitis eò prolabi, aut detrudi,ubi tetra, æternaq; mephytis eſt ; ubi non unus Cincinnatus cum ſuo pulvere Cyprio malè olens eiulat : Ah! pereant cyrrhi, pereant, mea probra capilli,

Fæmineâ compſi quos ego ſæpè manu!

Incumbite in hoc sanctũ studiũ plenis viribus, vt hi tres ministri animi corporisq; vestri, Tactus, gustus, olfactus, vos efficiãt tales, de quibus illud sancti Regis benè intelligi diciq; posit. *Nares habent, et non odorabunt, manus habent & non palpabunt; non clamabunt in guture suo.*

CAPVT XIV.

Portæ Templi mystici.

QVæ sunt? Oculi. Ah! quàm negligenter custodiuntur! quoties ad hos excubitores cum pio vate exclamãdum?

O oculi! ô scopuli titulo meliore vocandi?

Heu! quibus allisæ tot periêre rates!

Cur ita? Nàm, ut Præceptor noſter IESVS apud Matthæum 5. 28. diſſerit: *Omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mæchatus eſt eam in corde ſuo.* Congruit hoc cum illo ſapientis proverbio 23. 33. *Oculi tui videbunt extraneas, cor tuum loquetur perverſa.* Quidquid enim in oculis, idem in corde ſtatim hæret. Vnde Iob pepigiſſe legitur fœdus cum ſuis oculis, ut nè cogitaret de Virgine: qui non tale pangunt, cogitant. Mater humani generis, niſi vidiſſet pomũ aſpectu delectabile, non amiſiſſet juſtitiam originalem. Oculorum

lorum negligens custodia justissimo licet Davidi duo monstra intra sacrarium mentis peperit adulterium ac homicidium. Visa Betsabee, occisus Vrias, ut illa possideretur, debuit alter perire Alipi⁹ planè religiosissim⁹ D. Augustini sodalis diù luxit, à se Romana theatra fuisse conspecta. Princeps Apostolici Senatûs nō dubitavit pecora appellare, homines, *oculos habentes plenos adulterij, & inceßabilis delicti.* 2. Petr. 2. 14. Verè namq; ibi continuò peccatur, ubi hæ portæ Templi mystici continuò sunt apertæ, ac patulæ ubiq; cuiq;. Non uni Christiano fugatus è corde Devs dicere potest: *oculi*

tui avolare me fecerunt. Quã primùm quidpiam turpis ac mali per oculos in animum advolat; subitò indé pulchritudo Bonitasq; sũma avolat. Et non clausas hascè portas tenebis, qui vis, vt DEVS tecum habitet, tuq; cum DEO? Mansit utiq; cum verecundissimo juvene B. Aloyzio Gonzaga, qui Imperatricem, quam tres annos quotidiè adibat, nunquam aspexit. Mansit cum nuper in album Divorum relato Sancto Petro de Alcantara, Recollectorum Patre; qui annos quadraginta nec virum, nec fæminam, intuitus est. Nimirùm, qui non ignorant, quod *per oculos mors intrat*

in ani-

in animam, mille seras ijs appendunt. Tu, certè invigila, nè de Templo tuo lamentetur aliquis Isaias: *Omnes portæ eius destructæ.*

CAPVT XV.

Fenestræ Templi mystici.

SVnt aures. quamobrē! nā ceu per portas omnia, per fenestras clamor solus intrat forinsecùs; ita per aures verba, non corpora. Tametsi cum verbis res ipsa insinuet se svaviter, & phantasiam primum, cætera deniq; facillimè occupet, ipsumq; altare fædet. Gloriatus fuit Ierosolymorum Sanctissimus Rex, templi sui hasce fenestras fuisse perfe-

ctissimas, cùm caneret, Psſ. 39.7. *Sacrificium & oblationem noluiſti, aures autem perfeciſti mihi.* Perfectæ nempè ſunt aures, quæ ſolis pijs ac ſalutaribus, honeſtis ac proficuis ſermonibus patent; vanis, curioſis, infamatorijs, laſciuis; parùm religioſis, non dicò blaſphemis obſeruantur. Magna in illo Templo mundities, per cuius feneſtras nè muſcæ quidem, non modo volucres aliquæ, poſſunt intrare. Talem animi cordiſq; puritatem habiturus es, ſi clauſis auribus viuas. Eſto niuibus cãdidior, cryſtallo purior, denigrabere facilè facili ad omnia auditu. *Corrũpunt bonos mores,* iam olim ſanctè di-

ctum, *colloquia prava*. Quot homines, & casti, & sancti, & non heretici essent; si, quales harpyæ animo se illorum per aures ingerunt adverterent, easq; aut fugarent, aut fugerent. Hoc providebat Apostolus, cùm scribens carissimo suo Timotheo 2.4.3. de remissis Christianis ita vaticinaretur: *Erit tempus cúm sanam doctrinam non sustinebunt; sed ad sua desideria coacervabunt, sibi Magistros prurientes auribus: & à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* In fastis veterum Patrum traditur; Sanctum quẽdam senecionem de verbis divinis inter suos sermonem instituisse

tuiſſe. At illi dormiturire. Vbi verò lepidam narrationem orſus eſt, expergefacti ſubitò arrectas aures præbuêre dicenti. Nos miſeros, cùm faſtidio nobis pia colloquia ſunt, immò conciones ipſæ: ſapiunt verò curioſa, fabuloſa, injurioſa, damnoſa. Licet non ignoremus, prædeſtinationis eſſe ad cæleſtem gloriam certiſsimum ſignum, avidam & diligentem auditionem cum impletione verbi DEI *Beati*, (dixit ipſe Chriſtus) *qui audiunt verbum* DEI *& cuſtodiunt illud.* Quapropter, nè hac beatitudine privemur, non Thimotheo ſolùm, ſed cuivis fideli Paulus ſuggerit; *Bonus eris mi-*

niſter

nister Christi IESV, *enutritus verbis fidei, & bonæ doctrinæ: ineptas autem, & aniles fabulas devita.* 1. Tim. 4. 7. Ego verò adijcio: etiam confabulationes nobis vitandas esse, præsertim in DOMO DEI, ac maximè tempore prædicationis. Addo insuper: nè quæstionibus quidem ac disceptationibus aures offerendas, quæ non afferunt cum vtilitate Sanctimoniam. Multò magis vitandos esse sermones, ac lectiones etiam, quibus non modò utilitas inest nulla, sed pernicies inest maxima. *Si quis aliter docet* (non vereor cum Doctore gentium pronuntiare) *superbus est, nihil sciens, sed langvens circa quæ-*

ſtiones & pugnas verborum: ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blaſphemiæ, ſuſpiciones malæ, conflictationes hominum mēte corruptorum, & qui veritate privati ſunt. 1. Tim. 6. 4. Tandem de ſenſibus vniverſis ad evitandam ſenſualitatem, in qua non reperitur DEVS, hoc mihi liceat ex diviniſsimo Patre Auguſtino apponere. Sol. c. 31. *Ego erravi ſicut ovis quæ perierat*, (loquitur is, qui aliquando fragilis erat) *quærens te exterius* (DEVM ſcilicet) *qui es interius. Et multùm laboravi, quærens te extra mè. & tu habitas in mè, ſi tamen ego deſiderem te. Circuivi vicos & plateas civitatis huius mundi, quærens te,*

& non

& non inveni: quia malè quærebam foris, quod erat intùs. Misi nuntios meos, omnes sensus exteriores, ut quærerem te, & non inveni; quia malè quærebam. Itaq; per mortem sensuum potiùs discamus quærere DEUM, inveniemus. Moriuntur illi, cùm sapienter reguntur; cùm subtrahuntur illis talia, quibus ipsa bruta alliciuntur. Animali igitur homine mortuo, surget spiritualis, qui reperto in se possessoq; DEO svaviter cum Paulo ingeminabit: *Vivo ego, iam non ego, vivit verò in me Christus.*

CAPUT XVI.

Mundities Templi mystici.

HAbetur maxima, si hoc saltem

ſaltem ſemel quotidiè everratur. David hîc imitandus, qui de ſe Pſ. 76. 7. *Scopebam*, inquit, *ſpiritum meum.* Præſtat hoc examen conſcientiæ: quod quantò frequentiùs ac diligentiùs vſurpatur, tantò mundiorem in homine Dei habitationem reddit. Et ſanè deploranda eſt non paucorum incuria, & error graviſsimus: qui cubicula, veſtes, patinas, non poſſunt ferre niſi nitidiſsima, conſcientiæ verò immunditiem non deteſtantur: qui corpus lavant, ungunt, modis omnibus expoliunt; animi nitorem negligunt. O Chriſtiane! tu quotidie faciem abluis, quotidiè purgas indumenta, quotidiè

diè domum everris; curid quotidiè non facis cum Templo Dei, quod es tu? Animadverte igitur in diei totius cogitationes; expende, quæ locutus es, multò diligentiùs, quæ egiſti? Omiſiſtine bonum aliquod, aut admiſiſti malum? quin ipſam intentionem factorum tuorum diſcute, & hoc inſuper attende: an non potuerit bonum aliquod fieri meliùs? Methodum huius exercitij ſanctiſsimi, everrendæ ſaltem quovis veſpere Myſticæ Domûs DEI, hoc vulgari carmine habes expreſſam.

Solve Deo grates, pete lumen, diſcute mentem,
Delicti veniam poſce, ac propone, ſatisfac.

Pri-

Primum, facere poſsis hoc modo. *Sanctiſsima & glorioſiſsima Trinitas vnus Devs, infinities millies adoro te, & gratias ago debitas tuæ Maieſtati pro omnibus & ſingulis beneficiis, favoribus, gratijs, in me, & vniverſum genus humanum ab exordio mundi, ad hoc uſq; tempus, & maximé hoc die collatis. Gratias tibi ago, Domine Devs meus; quia me creaſti, redemiſti, vocaſti ad religionem Catholicã, direxiſti, illuminaſti, excitaſti, erexiſti, cõſervaſti, nutriviſti, protexiſti, toleraſti &c.* (adde particulares favores præſertim præſentis diei) *Benedictus ergo ſis in donis tuis, & Sanctus in omnibus operibus tuis, qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum.*

 Secun-

Secundum. *Illumina, Domine, oculos mentis meæ; vt agnoscã bona tua, & mala mea: pro illis te benedicam, hæc defleam, & emendẽ cum gratia tua pro gloria tua, Amen.*

Tertium. Quid cogitasti, dixisti, fecisti, tibi commemora; ut advertere queas: nùm quidpiam in cogitationibus, dictis, factisq; tuis peccati aut imperfectionis non sit admissum, contra legem Divinam, naturæ, vel humanam; ut & dolorem justũ de eo concipias, & confesſioni subijciendum adnotes. Hoc inculcat D. Leo Ser. 3. quadr. *Scrutetur unusquisq; conscientiam suam, seq; ante se statuat proprij censurâ*

censurâ iudicij. Nec aliud Augustinus in l. 50. homil. 1. præcipiens: *Ascendat*, inquit, *homo adversum se tribunal mentis suæ: & constituto in corde judicio adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor, & sanguis animæ confitentis per lachrymas profluat.*

Quartum hinc dependet. Invento aliquo in conſcientia defectu, vel exceſſu, aut pluribus, hunc de jis tàm in ſpecie, ſi graves fuerint, quàm in genere contritionis actum formabis. *Doleo Domine DEVS meus, summum & infinitum bonum, ex puro amore tui, quod te aliquando, præsertim hodie his peccatis* (ſiſte illa

in tribunali mentis tuæ) *offenderim: & ita dolere de omnibus, & singulis totius vitæ meæ delictis vellem, imò de peccatis omnium hominum sicut deberem quàm perfectissimè. Detestor illa super omnia mala. Ignosce mihi, & nobis omnib⁹, propter merita Domini nostri* IESV *Christi, Virginis Beatissimæ, & omnium* Electorum *tuorū Amen.*

Quintum. *o DEVS! o bonitas! o Amor mi! amo te super omnia, & amari desidero ab omnibus, ut debet & potest majestas tua amari. Vtinam te queam amare, sicut tu Te ipsum amas, sicut te amat tua sacratissima humanitas, Virgo beatissima, & omnes electi. o DEVS*

 ex amore

ex amore tui propono firmiter, me velle cõfeſſione ſacramẽtali quantotiùs pro gloria tua delicta mea expiare omnia, & ſingula, & per gratiam tuam emendare, pro iisq́ satisfacere.

Sextum. Tandem aliquam tibi mortificationem aſsignatàm in gratiarum actionem pro beneficijs, quàm in ſatisfactionem pro culpis. Aut certè ſubitò orationem aliquam inſtitue, vel elèémoſynam ſtatue quamprimùm elargiri, vel jejunare; prout exigit qualitas aut magnitudo delicti, & Divinus ſpiritus intùs docet. Sic enim emundabis Templum DEI, ſic in eius gratia, & amore, & perfectione proficies.

Non contemnendum est, quod huc apprimè facit Annæi monitum. *Quantum potes, ait ille, te ipsum coargue. Inquire in te: accusatoris primum partibus fungere, deinde judicis, novissimè deprecatoris, aliquando te offende.* Quodsi forté Philosopho monentio gganis, quid suadeat sanctissimus doctor expende. *Integritatis tuæ curiosus* (ait D. Bern. m. c. 5.) *explorator vitam tuam in quotidiana discussione examina. Attende diligenter, quantùm proficias, vel quantum deficias? qualis sis in moribus, & qualis in affectibus? quàm similis sis Deo, vel quàm dissimilis? quàm propè, vel quàm longè, non locorum intervallis,*

lis, sed morum affectibus? Redde ergo te tibi; etsi non semper, vel sæpè, saltem interdúm. Rege tuos affectus, dirige actus, corrige gressus. In te nihil remaneat indisciplinatum. Ponè omnes transgressiones tuas ante oculos tuos. Statue te, antè te, tanquam antè alium, & sic temetipsum plange. Plora iniquitates, & peccata, quibus DEUM offendisti. Indica ei miserias tuas, ostende illi malitiam adversariorum tuorum: cumq; coram eo lachrymis te maceraveris, precor te, ut sis memor mei. Hactenus Bernardus: Cuius, tu, monito melior,

Quotidie mentem purges examine stricto;
Sic erit Æternùm mansio grata Deo.

CAPUT

CAPVT XVII.

Tectum Templi mystici.

EX tectis Templa noscuntur; sic Christianus ex operibus Iustitiæ, sinè quibus, nihil aliud est, nisi nomen inane. Severè de talibus ab Apostolo pronuntiatum: quod *Confitentur se noße DEVM, factis autem negant.* 1. Tit. 16. Zelosius hîc Augustinus tr. 10. in Ioan. *Quomodò,* inquit, *Christianus dicetur ille, in quo actus Christiani non apparent?* Quapropter, ut hanc à nobis infamiam Domin' noster averteret, seriò nos ad benè agendum præcepto sub hac paræmia Luc. 12. obligavit. *Sint*

lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Lumbos enim *præcingimus* (ut optimè cælestis Præceptoris explicat mentem Gregorius) *cúm carnis luxuriam, per continentiam coarctamus. Sed quia minùs est mala non agere, protinùs additur: & lucernæ ardentes in manibus vestris. Lucernas quippé ardentes in manibus tenemus, cùm per bona opera proximis nostris lucis exempla mõstramus. De quibus profectò operibus Dominus dicit. Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem Vestrũ, qui in cælis est.* Obvia hæc Romani Præsulis interpretatio, sed ad rem nulla accomoda.

modatior. Huc etiam collimavit Ioannes Evangeliſta, cùm ſcriberet 1. c. 17. *Si dixerimus, quoniam ſocietatem habemus cum eo* (æternam lucem DEVM intelligit) *& in tenebris ambulamus; mentimur, & veritatem non facimus. Si autem in luce ambulamus, ſicut & ipſe eſt in luce; ſocietatem habemus ad inuicem, & ſanguis* IESV *Chriſti Filij eius emundat nos ab omni peccato.* Tenebræ, denotant peccata; lux opera ſancta. Vtrumq; complexꝰ Paulus conuerſus Epheſijs ſcribens. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Tunc profectò veri Chriſtiani noſcimur, cùm non in tenebris, ſed in luce cernimur

mur esse Christi vestigia sequendo, iuxtà eius testimonium: *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris.* Vndè memoratus divini Evangelij Præco ac scriptor Ioannes ep. 1. c. 2. 6. iterùm nobis dicta repetens: *Qui dicit se* (ait) *in ipso*, nempè in Christo, *manere; debet, sicut ille ambulavit, & ipse ambulare. Omnis enim* (idē c. 3.) *qui in eo manet, non peccat; & omnis, qui peccat, non vidit eum, nec cognovit eum. Nam qui facit peccatum ex diabolo est; quoniam ab initio diabolus peccat. In hoc manifesti sunt filij DEI, & filij diaboli.* In quo? in peccatis hi, illi in operibus justitiæ. Qui ergo benè agit, cognoscitur esse Té-
plum

plum DEI; qui malè, diaboli sacellum est. Dicis, aut saltem opinaris, te Spiritum Sanctum habere? tectum mihi indicat, quis intùs hospes habitat. Avarus es? Pluti delubrum es: superbus? Iunonis: luxuriosus? Veneris: iracundus? Furiarum infernalium: gulosus? Bacchi: invidus? Cerberi: somnolentus? Noctis. *Ex fructibus eorum cognoscetis eos*; hoc dixit Veritas de falsis prosphetis. fictis Christianis. Quocircà fidem nostrã probemus operibus fidei, vt & simus, & agnoscamur ex his tectis, esse Templa DEI VIVI.

CAPVT

CAPVT XVIII.

Campana Templi mystici.

QVid aliud est, nisi Fama? Hanc exprimere volens politicus (Saavedra in symb.) pingebat campanam cum lemmate: *Ex pulsu noscitur.* Pulsus indicat, num integra, num sit campana rupta? Quamvis autem rariùs famæ sonus attendendus, qui iuxtà hominum affectus crescit, aut decrescit; nec illicò quispiam nequam habendus *arbitrio popularis auræ*: tamen unicuiq; servo, & sequaci IESV Christi enitendum, ut nomē bonum, quantum valeat, procuret apud omnes. Hoc svadet scribens Romanis

manis Apostolus : *ut provideamus bona non solùm coram DEO, sed etiam coram omnibus hominibus* c. 12. 17. Hoc & Philipensibus ingerens: *Quæcunq;*, ait, *sunt vera, quæcunq; pudica, quæcunq; justa, quæcunq; Sancta, quæcunq; amabilia, quæcunq; bonæ famæ : si qua virtus, si qua laus disciplinæ : hæc cogitate.* Volebat illud Vas electionis, omnes nos esse vasa gloriæ tàm apud DEUM, quàm apud homines: volebat, ut omnes bonus odor Christi simus, non degeneres à Vite palmites, non discrepantia Capiti membra: volebat deniq;, ut ubiq; vita celebres, moribusq; sancti habeamur; neq; ullus inter non re-

periatur, cuius fama non sinistrè mala spargatur. Huc præterea facit illud vulgare quidem, sed non respuendum: *Omnia si perdas, famã servare memento.* Quod tamen ita non est concipiendũ: ut, licet tædè sæpeq; delinquamus, iactemus nihilominùs, esse nos Apostolis Sanctimoniâ proximos: sed potiùs rerum nostrarum, vitæq; iacturam pati nos convenit, quàm ut mali nominis exempla posteris relinquamus. Nec mihi placere illud potest: *Si non casté, cautè*: placet magis: *Et casté & cautè.* Sapientis effatum, quis non approbet? *Melius est* (ait ille prov. 22.) *nomen bonum, quàm divitiæ multæ.*

Super

Super argentum & aurum, gratia bona. Melius est nomen bonum (idē Eccl. 7.) *quàm unguenta pretiosa.* Quapropter, Christiane, eodem monitore, *curam habe de bono nomine : hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri pretiosi & magni.* Sed vereor, nè hîc in errorem labaris; nè putes, nomen bonum, quod bellis injustis præsertim, quod ingenti profusione sangvinis, quod opib' per fas nefasq; congestis, quod honoribus arte non bonâ quæsitis, quod invasione regnorum, quod ereptione ditionum, quod sæculari prudentiâ, quod vanâ tumidaq; scientiâ, quod oppressione debilium, quod infamiâ alienâ,
quod

quod ruinâ proximorum, quod astu, dolo, fictâ probitatis imagine, sinè verò virtūtis splendore, paratur. Illud nomen bonum est, quod vita bona, virtus, synceritas, pietas non fucata, constans Divinæ gloriæ zelus, humanarum rerum verus contēptus, æternorum cura, amor Dei, dilectio proximi, mores Divinis conformati perfectionibus, idē in adversis ac prosperis animus, & illa maximè maxima virtutū omniū capita, Fides, Spes, Charitas, producunt, nutriunt, conservant. Hic famæ talis partus emorietur nunquam; verè gratus & mundo, & cælo. Hunc tibi, si quis conspurcare voluerit,

rit, aut extinguere, calamo ſivè linguâ; audacter in illum poteris immò debebis aſſurgere. Ad hoc magnus Baſilius ep. 65. probè concitans: *Ad calumnias*, inquit, *tacendum non eſt; non ut contradicendo ulciſcamur, ſed nè mendacio inoffenſum progreſſum permittamus, aut eos, qui ſeducti ſunt, damno inhærere patiamur.* Non tamen ſvadeo, ut levem infamiam gravi perſequaris vindictâ, immò, quùm te nequeunt mordere latrantes canes, vilipendas. Solenne eſt multorum vitium, denigrare famam alienã, cùm nullam ipſi habent: quæ noctua lucem amat, aut laudat? Sed neq; pauci ſunt, qui per aliorum

orum ignominiam volunt evadere gloriosi. Hinc & Christus ipse summa perfectio, à linguis petulantibus & mordacibus non penitùs liber fuit, vt rectè in persona eius loquitur Imitator l. 3. c. 18. *Multas querimonias de me frequenter audivi: confusionem & opprobria benignè sustinui: pro beneficijs ingratitudinem recepi, pro miraculis blasphemias, pro doctrina reprehensiones.* Quid, quod plerumq; pluribus odiosi fiunt, qui vni DEO cupiunt esse amabiles? Quare Doctor mundi Paulus optimè profatus: *Si adhuc hominibus placerem, Christi* (inquit Gal. 1.) *servus non essem.* Et, tu, *cùm rectè vivas, nè cures verba*

malorum. Quanquam ſapidior hæc offa eſt Catonianâ, quam Pauli ſuaviſsimè conditam exẽplo mihi quiſpiam porrexit. (l.3. c. 36. de Imit:Chri.) *Multi multa loquuntur, & ideò parva fides eſt adhibenda. Sed & omnibus ſatis eſſe non eſt poßibile. Et ſi Paulus omnibus ſtuduit in Domino placere, & omnibus omnia factus eſt: tamẽ etiam pro minimo duxit, quòd ab humano die iudicatus fuit. Egit ſatis pro aliorum ædificatione, & ſalute, quantùm in ſe erat, & poterat: ſed nè ab alijs aliquando iudicaretur, vel non deſpiceretur, cohibere non potuit. Ideò totum* Deo *commiſit, qui totum noverat: & patientiâ, ac humilitate contra ora*

loquen-

loquentium iniqua, aut etiam vana, ac mendosa cogitantium, atq; pro libitu suo quæq; iactantium, se defendit. Respondit tamen interdum, nè infirmis ex taciturnitate suâ generaret scandalum. Quis tu, Christiane, *ut timeas à mortali homine? quid prodest aliquis in te verbis aut iniurijs? sibi potiùs nocet, quàm tibi: nec poterit judicium* DEI *effugere, quicunq; est ille.* Proinde *iacta cor tuum in Domino, & humanum nè metuas judicium.* Non est vitium cāpanæ, si malè pulsetur, cùm bona sit. Postremò, optima comparandæ, atq; conservandæ famæ ratio est; detrahere nemini, detrahentibus aures non præbere, in laudandis

alijs non esse parcum. Cæsari statuas Pompejanas restituenti dictum est ab aliquo; eum suas locasse: ita non invidens alienæ gloriæ suam propagat. Quidam Divorum gesta virtutesq; celebrando accenduntur ad paria, fiuntq; Divi. Magnum quoq; nomen habent, qui magna potiùs faciunt & parvis, quàm & magnis parva. Hoc modo campanam Templi Dei clarè sonoram reddes.

CAPUT XIX.

Dedicatio Templi mystici.

QVemadmodùm materialium, ita mystici Templi duplex esse potest, Dedicatio.

Prima

Prima illa, quam Spiritus Sanctus ministerio Sacerdotis in nobis peregit, cùm per salutare Baptismi Sacramentum, sibi nos consecravit. De qua disertissimus atq; pientissimus Pontifex Leo sermonem instituens hunc in modum cuilibet nostrũ colloquitur: *Per baptismatis Sacramentum, Spiritûs Sancti factus es Templum. Noli tantum habitatorem pravis de te actibus effugare, & diaboli te iterum subijcere servituti: quia pretium tuum sanguis est Christi, qui in veritate te iudicabit, qui misericorditer te redemit.* Altera est, quâ illius primæ Consecrationis annuam memoriã facientes Deo pro sanctificatione

noſtra gratias debitas perſolvimus,& lætiſsima encænia in Spiritu gratitudinis, ac fervoris Deo ſerviendi renovatione celebramus. Ah! quinàm ſunt, quibus hæc ſanctiſsima, & verè Christiano cuiq; propria, conſvetudo ineſt, diem illum, quo mundo cæloq; ſimul nati ſunt, piè recolendi? Vt nimirùm animum pænitentiâ expient, Sacram Synaxim adeant, & quibus valent modis, ac induſtriâ, Deo ſe gratiſsimos regenerationis ſacræ exhibeant. Fateor, me inter plurimas hiſtorias, etiam eorum, qui piorum virorum geſta conſcripſêre, unicum tantum, idq; recens exemplum, huius Dedicatio-

cationis Templi myſtici annuatim abundè reperiſſe in vita Venerabilis & eximij DEI ſervi, P. Gaſparis Druzbicki, Poloni, è Societate IESV Presbyteri, nuper in lucem per celebrem Theologum eiuſdem Societatis, Admodum Reuerendum Patrem Danielem Pawłowſki, emiſſa: quod exoſculatus propono hîc practicè uſurpatum; & ſvadeo, ſalubriter Christiano cuivis uſurpandum.

MODVS

Diem natalem ſeu myſticam Templi myſtici dedicationem, celebrandi, à V. DEI ſervo P. Gaſpare Druzbicio è Soc: IESV pientiſsimè uſurpatus.

NAtus sum, Domine, in hunc mundum; & natus quidem cæcus, pauper, nudus, peccator. Adspexit lucem filius tenebrarum, diaboli mancipium, iræ DEI materia. O mi unitrine DEVS, omne bonum meum! cur, antequàm efficerer filius tuus per gratiam adoptionis, antequàm adirem hereditatem meritorum Christi, antequàm implantarer viti veræ, palmes inutilis; cur inquam non extinctus sũ tunc casu aliquo? sed frustũ istud massæ meæ invenit gratiam coram te, ut me vivere sineres, & Angelo tuo custodiẽdum committeres. Delatus deindè sum providente Te, ad Baptismi fontem, & ex eo in filium gratiæ regeneratus, membrum Chri-

sti

sti factus, heres gloriæ constitutus. O quàm pauper adveneram! o quàm dives reportatus sum tunc, materniſque redditus manibus, pretiosis Filij tui meritis, tanquam monilibus ornatus? Et fuitnè aliquis tunc, sivè Parentum, sivè Adsistentium, sive ipse Sacerdos; qui hoc tuum, mi DEVS, beneficium in me recognoscēs, fideles tibi pro me gratias ageret? factū hoc tunc pro me an sit, nescio. Si factum, gratias ago providentiæ Tuæ, & nunc id totum pro me ratum habeo: si non factum; nè illud benefici um ex mea parte careat aliquo gratitudinis debitæ signo: ecce nunc, mi Trinitas DEVS, ex toto corde, & ex tota animæ corporiſque mei virtute, ac intensione, Tibi Deo

bi DEO *meo, per* IESVM *Christum, perq; Matrem eius, & ex tunc meam pretiosißimam, ago immensas gratias. Educationis meæ cui acceptum feram, mi* DEVS *Trinitas? Tu nosti, quibus periculis obnoxia, & subiecta fuerit ætatula mea illa rudis, fragilis, & nihil præter bestialem sensum sentiens. Tu membra fovebas, firmabasq; : tu vacillantes greßus ac paßus tenebas, & dirigebas: tu belluinam in me vitam decoquebas, ut ad rationalem tandem emergerem. Et quis pro me tunc, o* DEVS *meus: glorificavit te? Illam verò ætatem meam sequentem, in qua usus rationis mihi tandem illuxit, & deinceps luxit, quis mihi ostendit alius, o Domine! præter te?*

ter te? Et dedicavinè tibi primum usum rationis meæ? fieri id potuit, fuiße nescio: Vellem feciße. Dignũ enim erat, ut ex tunc, te DEVM *Conditoremq́ meum, totâ omnitudine eßentiæ meæ amarem, adorarem, laudarem, subditum me profiterer, ac subiectionis tributum cum timore & amore adferrem, atq́ protestarer. Quod tunc factum non est, facio, Domine, in præsenti meq́ tibi nunc, pro tunc, primitialibus omnibus actibus, atq́ affectibus te dignis, Tibi à me debitis, profundo, impendo, immolo, sacrifico, holocaustifico, in omnimoda, in omni poßibili puritate, intensione, circumstantia.*

Taliter decet, vnumquemq́;

Christianum, diem sui Natalis transigere; in hac gratiarum actione, non inter pocula, ac lautos missus, encænia spiritualia peragere.

CAPVT XX.

Tutelares Templi mystici.

PRæcipui sunt, & præcipuo honore nobis colendi, Tutelares nostri. Augustissima, & supereminentissima Virgo DEI genitrix, Angelus custos, & Sanctus, cuius nomen impositũ habemus. Ac Divinissimæ Parentis, quis erga nos curam satis explicet? Vellem ego, si possem. Scio tamen illam, non aliter nostri sollicitã esse;

esse; quàm fuerit sollicita Christi Domini, sui Filij unici atq; dilectissimi, cùm nos membra ei⁹ esse cognoscat. Capio mente ferè singula eius in nos beneficia; sed verba mihi desunt, quibus ea proponam alijs consideranda. Vndè breviter ajo: Omnia habemus per MARIAM, & in ea post DEVM vivimus, movemur, & sum⁹ *Ipsa post* DEVM. (sentit hoc Albertus magn⁹ in lib. Mar. 1. Gen. n. 12.) *est principium omnis gratiæ in Nobis.* Hinc devotissim⁹ illi Bernard⁹: *Totis*, ait, *medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus* MARIAM *veneremur: quia sic est voluntas eius, qui totum nos habere voluit per* MARIAM. Tutelaris

laris alter, Angelus est, cuius illicò traditi sumus custodiæ, postquam esse cæpimus. ô quantum ab hoc & obsequij, & sollicitudinis accipimus! David divinâ Sapientiâ excultissimus ita hominem alloquitur: Ps. 90. *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculò tuo. Quoniam Angelis suis DEVS mandavit de Te; ut custodiant te in omnibus vijs tuis.* Quasi breviter dixerit: septus Genij tutelaris custodia, nemo timeat periculum, nemo expavescat malum. Agnovit, quantum homini conferat Angelicum præsidium D. Augustinus, ut ipse corā DEO confitetur his verbis. *Magna*

gnâ curâ, & vigilanti studio adsunt nobis omnibus horis, & locis Angeli custodes, succurrentes, & providentes necessitatibus nostris, & solliciti discurrentes inter nos, & te, Domine; gemitus nostros, atq; suspiria referentes ad te; ut impetrēt nobis facilem tuæ benignitatis propitiationem, & referant ad nos desideratam tuæ gratiæ benedictionē. Sol. c. 27 Quid autem illos impellit ad tantam nostri curam? Amor nostri. Diligunt enim nos; *diligunt* (ait idem ibid.) *nēpè concives suos; per quos suæ ruinæ scissuras restaurari expectant.* Hinc tantâ perseverantiâ Nobis ad hærent, ut quamvis maximum peccatorem, ad extremum

tremum tamen halitum non negligant, aſsiduò converſioni illius invigilantes. O quanta quiſque mortaliũ facere bona queat, quanta ſibi merita comparare; quanta verò evitare mala; ſi dato ſibi à DEO, patre luminum, directori, atq; duci, genio ſancto attendat, & obſecundet? Tertius demùm tutelaris eſt, *D.* ille, cuius nomen, vel in ſacro fonte, vel in Sacra Confirmatione nobis aſſumpſimus. Ideò enim tales Divos, noſtros Patronos vocamus, quia plura nobis præſtant, quàm velint patroni temporales clientibus. Iraſcitur nobis bonus DEVS? illi mulcent iratum: non concedit rogata?

illi deprecantur. punire vult? illi cohibent: parcit? illi gratias agunt. favent nostris bonis, favént meritis, favent beatitudini; & longè majori desiderio, quàm naufragos in portu socij, præstolantur. Igitur, quod solet Ecclesia, insinuo piè, ut horũ tutelarium nostrorum recurrẽtes festivitates, cum octava celebremus. Quâ ratione? singulis octo diebus, aliquid pij, boniq;, in eorum honorem faciamus. Nunc sacrificio Missæ devotè asʃistendum, nunc eleëmosyna eroganda, nunc mortificatio aliqua corpori inferenda; nunc, si adsunt, injuriæ condonandæ; nunc, si desunt, virtu-

tes comparandæ; nunc aliquod opus misericordiæ exercendũ; nunc major in orationibus fervor adhibendus; nunc recollectius & sanctiùs vivendum. Deniq; quidquid acceptum DEO, quidquid ipsis honorificũ, quidquid nobis ac proximo salutare, ob eorum amorem ac reverentiam præstandum. Hac arte Tutelares nostros optimè coluerimus.

CAPVT XXI.

Restauratio Templi mystici.

LAbefactatur mysticum Templum per impia, per opera pia reparatur. Sic Assyrio Regi per elèémosynam redemptio

ptio peccatorum ſvadetur à *Da*-
nielè: Sic Thobiam precationes,
cum pijs largitionibus, ſepultu-
raq́; mortuorum, DEO fecerunt
amicum. Pietas enim ad omnia
verſatilis, & iratum placare Nu-
men, & faventis gratiam reti-
nere potens. Numerantur au-
tem Pietatis actiones, quibus ef-
feceris omnia, apud DEVM, qua-
tuordecē. Quæ ad corpus per-
tinent has refert hexametron:

Viſito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Quæ ad Spiritū referuntur iſto continētur:

Conſulo, do, ſolor, moneo, doceo, oro, remitto.

Viſitandi infirmos opus præclarum ab ipſo Domino Servatore noſtro collaudatum; qui apud Mat. 25. *Infirmus,* inquit, *eram, & viſita-*

stis me. Exercēt hoc illi sanè laudabiliter, qui non vacuis manibus, ægrorum pauperum lectos accedunt. Ioannes DEI sic nuncupatus, beatissimus vir, ordinem instituit; cuius est officij, & vocationis, infirmos quærere desertos à fortunis, & curare. Per omnes Europæ oras inter Orthodoxos hic Ordo pientissimus, hac propriâ sibi charitate sic inclaruit, ut vulgò *Bonos Fratres vocemus propter opus verè bonum, quo benè occupantur.* Sunt & locis in multis, ac præsertim Romæ, ægrorum ædes, quibus omnia unà cum pharmacis piorum liberalitas abundè suppeditans certam sibi ad cælos viam sternit

ſternit. Videre eſt in illa Vrbe Summum *Sacrorum* Præſidem, videre purpuratum Eccleſiæ Senatum pedibus egentium infirmorumq́; ordinem, quanto eorum ſolatio! quanto ſuo bono! quantâ populi ædificatione! Quis enim non audeat, quod purpura non erubeſcit?

Cibum deindè *potumq́, miniſtrare* egentibus, magnæ Pietatis eſt. Clemens nonus vitâ ante biennium (ſcribo hæc. 1671.) functus ſanctiſsimè, frequenter more Gregorij magni inopes menſæ adhibebat. Loquuntur hanc charitatem paſsim, qui fuêre experti. Sed illuſtres quoq; fæminæ, Eliſabethæ, Heduiges,

Cunegũdes, hac virtute clarvêre. Felices, si nunc imitatores habeant! Quodsi quempiam aut Majestas, aut negotia publica, revocant ab hoc opere, faciens per alios mercede non cariturus.

Redemptio captivorum, præsertim ab infidelibus, ô quàm gloriosa! quam meritoria! Nolanus Præsul Paulinus, postquã vniversa, & Ecclesiæ, & sua in hoc opus prodegit, se tandem ipsum erogavit pro filio viduæ pauperis mancipandum. Quid ad hæc, quibus in carcere gemit aurum, gementibus apud Mauros Scythasq; captivis rectissimè conducturum? Divus Pe-

tius

trus Nolascus, D. Raymundus
etiam, condidère sacros cætus
Religiosorum, redemptioni ca-
ptivorum tantâ perfectione in-
cumbentium, ut seipsos pro li-
bertate eorum, oppignorent.
Doleo hos tales viros, tàm pios
ac Sanctos, abesse à Polonia,
quum Sarmatici generis integræ
legiones & apud Tartaros, &
apud Turcas, etiam cum peri-
culo salutis æternæ detineantur,
quib⁹ illi possent opitulari. The-
odulo Sanctissimo Ascetæ Cor-
nelius minus æquatus est Dei
calculo: qui, ut pudori nescio
cui⁹ matronæ, unàq; decoctoris
eiusdem viri à creditoribus vin-
cti, libertati consuleret, vestem

 & su-

& ſupellectilem vendiderat, & corrogatum indè quadringentorum aureorum aſſem alienæ miſeriæ donavit. Videte, quanti vos Devs æſtimat, qui nihili æſtimatis veſtras opes, dùm eas miſeris impenditis.

Nudos operire lex ipſa naturæ jubet. Quî enim poſſumus ferre carnem ex carne noſtra detectam ? Non potuit Senenſis illa Taumaturga, quæ ſe interiori veſte ſpoliavit, ut pauperem tegeret, & ideò nunquam deinceps frigus experta dono Chriſti : Non potuit ferre Martinus catechumenus adhuc, qui dimidio chlamydis nudum hominē, Chriſtum dixiſſe debui, texit.

Non

Non potuit ferre Ioannes Gamratus Gracoviensis Antistes, quem cæteroquî non sanctum, currus cum vestimentis comitabantur, quæ obvijs egenis imponebat, ideóq; meruit admoneri divinitus tempestivè de obitu suo, ut misericordiæ adijceret pænitentiam, & salvaretur. Et vos, qui cæno peccatorum estis immersi, non enatabitis per indumenta pauperum?

Peregrinos excipere hospitio res ingentis meriti. Probavit hanc virtutem suis in Apostolis Luca & Cleopha Filius DEI, á quibus coactus ad cænam, dùm panem frangit, DEVM se hominéq; monstrat. Beata Vrbs illa, quæ

ut

ut vetus historia divorum Patrum memorat, tàm pios cives habuit, ut advenas eriperent sibi lautè habituri. Væ vobis, qui canes fortè multos alitis, & homines mori fame patimini? qui occluditis valvas pereginis, ab ostijs vestris etiam religiosos viros arcetis; an vos à cæli janua non eiecturus est Christus? Nescitis meretricem ob susceptum benignè hospitio Iosuen & Calebum sedibus æthereis receptā esse? Hospes venit, Christus venit. qui recipit hospitem, Christum recipit: & suum receptorem vicissim Christus in æterna tabernacula non recipiat?

Sepelire mortuos gratis, ex sola cha-

la charitate, non eſt vilis pretij munus apud DEVM. Raro id contingit in minore præſertim hominum freqventia; ſed & rari faciunt. Thobias hîc ſenior, ut iam innui, celebratiſsimus: cui Raphael Archangelus dicebat Thob. 12. *Quando orabas cum lachrymis, & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abſcōdebas per diē in domo tua, & nocte ſepeliebas eos; ego obtuli orationē tuam Domino.* Efficaciſsimè nimirùm orat, qui volens miſericordiam conſequi DEI, præſtat eandem homini. Quæ verò inſignior poteſt eſſe miſericordia, quàm exhibita mortuis, à quibus nihil præmij, nihil gratitudinis, nihil & laudis

ſperant

ſperant queas? Hæc qui faciunt, omninò ſibi vitam comparant immortalem. Sed iam ad alia pietatis opera, ſpiritualia ideò nuncupata, quòd animum non corpus afficiant, delabamur; & ſunt, quæ ſequuntur.

Conſilium dare indigenti, ſincerum & ſalubre, mentis optimæ eſt. Ideò ſapiẽtes DEVS creat, vt inſipientes ab illis iuventur, dirigantur. Qui facit hoc abſq; mercedis ambitione verè pius eſt. Plus enim quandoque prodeſt conſilium rectum, quàm neſcio quãta ſubſidia pecuniaria. Multi ruerent ad tartara, nî conſultores optimos nãciſcerẽtur: non pauci perirẽt, nî ōſilio alieno Saluarẽtur. Dent

ergô

ergo periti consiliũ in foro cõsci-ẽtiæ, in foro fori, in curia, in ca-stris, quod cẽsent saluberrimũ, idq́; ex charitate, suæ quoq́; sa-luti hac egregiâ virtute pluri-mùm sunt consulturi. Quanta peregit in Ecclesiia DEI una vir-guncula Theresia, optimis con-siliarijs præter sanctum Spiritũ, usa? quot, non solùm illam D. Petrus Alcantarensis mortales promovit ad astra suis consilijs? Dona Spiritûs Sancti diffunden-da sunt. Aut invidiæ est, aut ma-litiæ, nolle recta monstrare cu-pienti, velle autem pro consilio mercedem avaritiæ.

Dare veniam in nos delinquẽ-tibus, & in gratiam redire cum

inimicis, hoc non dico propriè Christianum, sed planè divinũ est. In quo enim DEI bonitatem magis exprimimus, quàm in cõdonandis offensionib⁹, & inimicis diligendis? DEI siquidem Bonitas in eo Nobis eluxit maxima, quòd cùm inimici eius essemus, reconciliaverit nos sibi per Filium, non solùm impertiens veniam nobis delictorum, sed ut iustitiæ satisfieret, eundẽ pro nobis volẽs immolare. Hoc inculcans Apostolus Rom. 5. 6. *Vt quid enim Christus* (ait) *cùm adhuc infirmi eßemus, secundùm tempus pro impijs mortuus est? Vix enim pro justo quis moritur: nàm pro bone forsitan quis audeat mori? Com=*

ri? Commendat autem Charitatem suam DEVS *in nobis; quoniam cùm adhuc peccatores eßemus, secundùm tempus Christus pro nobis mortuus est; cùm inimici eßemus, reconciliati sumus* DEO *per mortem Filij eius.* Expende ſingula, qui legis, & quantum fas homini, imitare. Quis dat debitori ſuo pecuniã, ut ipſi debitum contractum eâ perſolvat? quis, nè eius inimic⁹ moriatur, mori vult eius cauſa? Hoc fecit Nobis DEI Filius, Sator & ſotyr noſter. Et amore eius non dabimus veniam petentibus? non favebimus inimicis? Favit ille, qui ſuum ulturus contemptum, (D. Vbaldus Eugubien: Præſul erat) in ſcrobem cal-

 cis ab

cis ab homine abiecto abiectus, grande vulnus hosti inflixit, osculum. Ad huiusmodi pietatem nos excitans Servator noster dicebat, monebatq; Math. 5. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum, & vade priús reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Audite vos, qui sempiterna foventes odia, continuum coquitis in animo rancorem, vindictæ occasioné expectatis, & interea Christo Domino in Sanctissima Eucharistia cum Iuda libatis oscula. Si ita vobis debita vestra dimittentur, ut vos inimicis vestris dimit-

dimittere soletis; actum est de vestra salute, perijstis. Igitur *diligite inimicos vestros*, quemadmodùm suadet Iesvs apud Mat. 15. *ut sitis filij Patris vestri, qui in cælis est.*

Solari afflictos non verbis tantùm sed & factis, non obviæ pietatis est. Dido talem iactabat apud Virgilium Æn. 1. *Non ignarũ mali miseris succurrere disco.* Exul quondam Tyro, exulem Æneam totâ Carthagine excepit humanissimè. Hoc erat afflictis (& gentilis erat) succurrere rebus. Iobo fideles amici, præter verba consolationis plenissima, munera adjecêre: *dederunt ei unusquisq; ovem unam, &*

inaurem auream unam. Matrem DEI Virginem Beatisſimam, crudelisſima dilectiſsimi Nati morte concuſſam, erigebat Ioannes; *ex illa hora*, quâ pientiſsimum Servatorem noſtrum tumulo clauſit, *accepit eam in ſuã.* Diſcipulos ipſe cæleſtis Præceptor firmans: *non turbetur*, dicebat, *cor veſtrum neq; formidet.* Contra, Solymæ allachrymans vates: *Plorans* (canebat thren. 1.) *ploravit in nocte, & lachrymæ eius in maxillis eius. Non eſt, qui conſoletur eam ex omnibus charis eius. Omnes amici eius ſpreverunt eam, & facti ſunt ei inimici.* Quid gravius eſt, quàm in dolore condolentem non habere? quid ſceleſtius,

lestius, quàm addere afflicto afflictionem? Cavete hoc, Christiani, etiam inimicum squallentem, quùm potestis, exhilarate. Victor Alexander Dario victo generosè compassus est: nobis talia non conveniunt. At flere cum flentibus iubemur ab Apostolo. Nec Christus Rex atq; Legifer noster aliud suo docuit exemplo, cùm *videns civitatem, in qua paulò post necandus erat, brevi ruituram, flevit super illam.* Spirituali quoq; ruinæ aliorum facilè condolet, qui se fragilem novit. Philippus Nerius ille nominatissimus Pater, quempiam gravius esse lapsum audiens, dicere solebat: *Faxit DEUS, ut e-*

go non fecerim peiora. Certè si calamitas aliqua proximi nobis elicit quandoq; lachrymas, ruina spiritualis potiùs elicere debet. Quid enim homine DEI per peccatum inimico, infelicius? Tales modis omnibus erigendi, juvandi. Hinc dependet opus aliud.

Corrigendi peccantem. Plurimi vitia corrigerent, si prudentes haberent correctores. Prudentes dixi. Nàm raró correctio, cum ardenti zelo adhibita, proficua; minimè verò, cum furore. Sicut paulatim homines vitijs assuescunt, pariter ab ijsdem retrahendi, violentia nocet ubiquè. Hinc David, admonitionē

opinor

opinor Nathani ſvaviſsimam & cautiſsimam præ oculis habens canebat Pſ. 140. 5. *Corripiet me iuſtus in miſericordiá, & increpabit me; oleum autem peccatoris non impingvet caput meum.* Non aliud præſcripſit Apoſtolus Coloſ. 6. *Fratres,* inquit, *etſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis.* At neq; ſunt propalandi defectus alieni, priuſquàm deficiẽtes privatim fraternè commoneantur. Vbi cuiuſpiã, multò magis plurium, aut communitatis, pluribus innotuit delictum, defendi ſolet acriter: Malunt aliqui iacturam pati ſalutis, etſi imprudentiſsi-

mè, quám famæ. Ab hoc malo possunt averti per sapientes correctores. Regulam hîc proindè Sapientia cæleſtis apud Mat. 18. nobis optimam relinquens: *Si* inquit, *peccaverit. in te frater tuus, vade, & corripé eum inter te & ipſum ſolum. Si te audierit, lucra, tus eris fratrem tuum; Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum vel duos; ut in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum. Quodſi non audierit eos, dic Eccleſiæ: Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut. Ethnicus & publicanus.* Vide, quàm lentè, quàm cautè progrediendum in fraterna correctione? Quidam ſe corrigunt, cùm in aliis audiunt

unt reprehendi, quibus laborãt. quidam nisi culpas videant suas, non agnoscunt, & corrigi alios in se putant. quidam crebrâ correctione redduntur pejores: quidam sitiunt, ut in minimis etiam corrigantur. Atq; his illud Prov. 28 23. servit. *Qui corripit hominem, gratiam postea inveniet apud eum: magis quam ille, qui per linguæ blandimenta decipit.* Et meritò! Cur enim fugiamus correptionem, non dico correctionẽ? cùm sit *meliùs à Sapiente corripi, quám stultorum adulatione decipi?* Cur fugiamus correptionem; cùm sit *melior manifesta correptio, quàm amor absconditus?* cur fugiamus correptionem; cùm *meliora*

liora ſint vulnera diligentis, quàm fraudulẽta oſcula odientis? (Eccl. 7. 6. Prov. 27. 5. 6.) Redeo iterùm ad correptionis prudentiam, nec ineptè dico. Reſpiciendam hîc eſſe naturam corripiendorum, indolemq́; : occaſionem, & modum ſapienter adhibendum: jmmò pro obſtinatis, atq́; gratiâ deſtitutis, exorandum eſſe DEVM ferventiſſimé; ut is, quod noſtram prudentiam, vel authoritatem excedit, lumine ſuo conficiat, quo ſceleſtiſsimos quandoq́; in ſanctiſsimos convertit. Plus hic proficit oratio, quàm rigida correptio, aut reprehenſio ſevera. Vndè optimè dixit ille. *Quæ homo in*

mo in se vel in alijs emendare non valet, debet patienter sustinere, donec DEVS *aliter ordinet. Si quis semel, aut bis admonitus non acquiescit, noli cum eo contendere, sed totum* DEO *committe, ut fiat voluntas eius, & honor in omnibus servis suis, qui scit benè mala in bonum convertere.* Non tamen dissvadeo correctionem. *Vnicuiq; enim mandatum est de proximo suo.* At neq; permitto conniventiam, cùm hæc, integros cætus pessumdat. Charitatem hîc cum prudentia & patientia cōiunctam esse volo. Nam & Apostolus Timothæo hoc injungens: *Prædica,* inquit, *verbum; insta opportunè, importunè; argue,*

obse-

obsecra, increpa, in omni patientia & doctrina (1. Tim. 4.) Cæterùm ad legem fraternæ correctionis implendam, cùm fieri alias nequeunt, sufficit actionem non probare. Quis enim cum potentibus suscipiat contentiones de bono? nisi fortè gratiâ DEI sit armatus, tunc svadebo, ut progrediaris in aciem, & vel occumbas, vel vincas. Habes magna magnorum exempla. Apud Hebræos Ioannem Baptistam; apud Latinos Boëtium cũ Symmacho, Martinum cum Gregorio: apud Græcos Chrysostomũ cum *B*asilio; apud Anglos Thomam Cantuariensem cum Moro altero Thoma; apud

Polo-

Polonos (ut reliquas Nationes prætercam tacitus) gloriosum Præsulem Stanislaum, & non ignotos alios. Hi dùm aliena peccata fortiter arguunt, aut corrigũt, aut impietati non subscribunt; vel odia summa, vel exilium, vel mortem reperêre. Habes tantum gratia? aude sceleratis non parcere coronam habiturus.

Docere ignorantes qui solent, de se illud vatis dictum esse putent Dan. 12. 3. *Qui ad justitiam erudiunt multos fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Parva dixi. Divinæ Matris titulos adæquabunt, qui Dei cognitionem, amorẽ, timoremq; instil-

instillabunt pectoribus alienis. O quàm egregij sunt Christi cooperatores, qui solo amoris ei⁹ intuitu necessaria ad salutem, ad vitam Christiano more ducendam, ad vitia devitanda, virtutes amplectendas, syncerè ac diligenter pueris præsertim, rudibus aut barbaris, aut errantibus, proponunt. Nullũ est hoc præstabilius pietatis opus, nullum beatius. Obeunt autem tale munus in Scholis præceptores, in nostris Ecclesiastæ; domi parentes, informando Sobolem de ijs, sine quibus æterna salus haberi nequit. At maximè ij, qui doctrinæ Christianæ professionem exercent tradendæ: cuius negle-

neglectu, prô! quantæ animæ ad ima ruunt? Ego hîc omnibus illis gratias immortales ago, quicunq; mihi Dei, virtutisq; notitiam attulerunt; quicunq; me docuerunt ignorantem. Rogo Iesvm, nè illis cæleste præmium subtrahat, sive id fecere verbis sive bonis exemplis. Mihi quoq; eius *Majestas* impertiri gratiam dignetur, nè quid in hac parte negligam. Supplico præterea eidem, ut omnibus animarum curam habentibus, tantùm luminis & ignis tribuat; quantùm necesse habent ad eos, qui sunt ipsorum fidei ac virtuti commissi, omni *justitiâ* imbuendos. Et maximè Concionatoribus, ac

Parochis, Apostolicum Spiritũ largiatur: quia horum operâ infiniti debent ad cælos evehi. Exemplo demùm tantam pietatem S. Principis Vladislai Jagellonis illustramus, ac firmamus. Hîc enim ex Lithvaniæ Duce Poloniæ Rex eâ conditione electus, ut Religionem Catholicam amplecteretur, tantò postea suæ gentis ad veri DEI cultum adducendæ studio fervebat, ut ipse eidem præcipua fidei capita explicaret, omnique conatu eam ad ovile Christi aggregans, fieret ex Magno Duce Lithvaniæ magnus Apostolus. Hic meritò cum Rege psalte poterat orare: *Docebo iniquos*

quos vias tuas, & impij ad te convertentur.

Exorare deinde DEVM pro animarum in piacularibus flammis existentium libertate, vel eas tàm pijs elèémosynis, quàm varijs modis alijs juvare, summæ charitatis est. Impius planè, & excors, qui earum pænis non movetur, & non succurrit patientibus, cùm potest. Iudas Machabæus Dux æquè strenuus atque Sanctus, *bené & religiosè de resurrectione cogitans* (vt loquitur 2. l. Mach.) *factâ collatione duodecim millia drachmas argenti misit Ierosolymam offeri pro peccatis mortuorum sacrificium.* Hoc fecit ille, qui bellis asiduis oc-

cupatus erat, quæ solent extingvere pietatem; quivé scire poterat, Synagogam non habuisse potestatem, quantum habet S. Mater Ecclesia nostra, merita Christi Domini defunctis fidelibus applicandi. Quid nos facere par est, qui & plura possumus apud IESVM, & tàm frequẽtia habemus incitamenta ad opem ferendam animabus fidelium temporaneo cruciatui destinatis? Vndè mihi magnam parit admirationem, quo pacto Christianus homo non persentiscat illarum deprecationem in hæc verba vociferantium: *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei.* Quid, quòd

habituri simus tot in Cælo Patronos ac opitulatores, quot illuc animas operâ nostrâ perduxim⁹ ex camino purgatorij? Non affero plura de hac materia; sufficiat illa cōsiderare & sequi, quæ divinus Spiritus Mach. 2 c. 12. pronuntiavit: *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.*

Vltimum opus Pietatis, at reliquis non inæquale, est, *Remittere injurias.* Quod, si Christiani, uti debent, vellent sedulò agere, cessarent lites, extingverentur tribunalia; fraudes, doliq; & multæ machinationes, quas aliquando vindicta struit, & plerūque injusta, interirent: plurimi

verò lauru patientiæ à Deo donarentur. Diuus Paulus iã hoc olim Corynthijs inculcans: *Frater* (aiebat) *cum fratre judicio cõtendit, & hoc apud infideles? Iam quidem omninò delictum est in vobis; quod judicia habetis inter vos, quare non magis injuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? Sed vos injuriam facitis & fraudatis, & hoc fratribus? An nescitis, quia iniqui regnum DEI non possidebunt?* Ex hac Apostoli clausulâ, feriâ quidem, beatũ esse intelligo, qui suffert injurias; at ex adverso infelicem, qui infert. Quantùm ille exaltand⁹ pro neglecta vindicta, tantùm hic deprimendus à DEO pro injusti-

justitia patrata. Bonum est ignoscere; sed malum irritare, offendere, opprimere. Ego ignoscens Christum imitor; tu me premens tortores Christi æmularis. Ergo svadeo injuriarũ remissionem, sed illationem dissuadeo. Vtile namq; mihi est pati innocenter; at tibi valdè damnosum me vexare. Ah! ideòne tu debes ad tartara præceps ire, quia me persecutione tuâ prouehis ad astra? Et tandem sic concludo cum aliquo pientissimo Patre *Habet magnum & salubre purgatorium patiens homo, qui plus dolet de alterius malitia, quám de sua injuria.* Dùm autem finem huic impono capiti, opto

 in me,

in me, & in quovis mortalium Bonorum operum crescere augmentum. Per illa namq; Domus DEI mystica reparatur, per illa misericordia DEI obtinetur. Opera nostra sequuntur nos *Certè adveniente die iudicij* (piè dixit aliquis) *non quæretur á nobis, quid legimus, sed quid fecimus; nec quàm benè diximus, sed quám religiosè viximus.* Quando hoc erit? *Cùm venerit filius hominis in maiestate sua* (respondet Mat. 25.) *& congregabuntur anté eum omnes gentes, & separabit eos ab invicem, sicut Pastor segregat oves ab hædis; & statuet oves quidem à dextris suis, hædos autem à sinistris. Tunc dicet his, qui à dextris eius*

erunt:

erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. O jucundissimum venite! at quâ virtute partum? Operibus Christianæ pietatis. *Eßurivi enim* (pergit judex DEUS) *& dedistis mihi manducare: sitivi, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me; infirmus, & visitastis me: in carcere eram, & venistis ad me.* Insudemus igitur pietatis operibus, insudemus; per quæ restauramus Templa DEI, animas nostras; reparamus, inquam, hominem interiorem, benedicti audiemus, cæleste regnum possidebimus.

CAPVT XXII.

Reconciliatio Tẽpli mystici.

COnsistit hæc in pænitẽtia, & sacra Synaxi. Cùm enim per peccata præsertim lethalia, templum DEI quod sumus nos, polluitur, ut vel ex hoc D. Maximi monito colligere est: *quicunq;* (ait ille) *vel est Templum DEI, vel eße desiderat, sollicitè careat; nè vana sectando desinens eße Templũ DEI, fiat habitatio tenebrarum, fiat dæmonis monimentum*: proindè ad eius Reconciliationem duo hæc Sacramenta, Pænitentiæ & Eucharistiæ, à IESV Christo constituta sunt. Ac primò, Pænitẽ-

tiam, esse quondam alterum Baptismum, non immeritò Vox clamantis in deserto pronuntiavit. Quas enim animi maculas non emundet Pœnitentia? quæ delicta non eluat Pœnitentia? Ipse dæmon, si Pœnitentiam arriperet, pristinæ gratiæ restitueretur; idq; propterea, quòd pænitentia vera, veram humilitatem continet, cui nihil DEUS potest denegare. Advertendũ tamen est, Pænitentiæ vocabulum, & virtuti huiusmodi, & Sacramento convenire Hoc loco de posteriori tantùm breviter agimus. Nam licet virtutis pænitentiæ magna sit vis, major tamen Sacramenti, quo propriè

priè gratia sanctificans confertur, nisi illi ex parte pœnitentis aliquis obex ponatur. Quod nè contingat, adhibenda inprimis est accessuro ad Sacramentum Pœnitentiæ præparatio aliqua, vel per elèémosynæ largitionem, vel per iejunium, aut quampiam similē corporis mortificationem ad hunc finem directam, ut Devs gratiam impertiatur pœnitēti cognitionis perfectæ peccatorum omnium & singulorum, contritionis veræ, & cōfessionis rectæ ac salutaris. Præmittenda quoq; est, antè examen conscientiæ brevis precatio; quod deindè in aliquo loco secretiore, & ab arbitris re-

moto instituendum, non perfunctoriè, sed per diligentē discussionem singularum cogitationū, verborum, factorum, habitâ reflexione ad præcepta Dei, Ecclesiæ, & officia cuiq; statui propria : quemadmodùm superiùs in ratione quotidiani examinis docuimus. Neq; enim volo hîc brevitati studens indicem texere peccatorum, quæ committi possunt, aut soleant, cùm vel ipsa conscientia sit eorum index; quæ si peniciùs inspiciatur, ostēdet, quid deflendum, confitendum, arguendum sit. Dolor postmodùm de omnibus peccatis, & mortalibus singulis cum seria eorum detestatione, & constanti pro-

ti proposito emendationis elici-
endus: qui non tàm consistit in
affectibus, & lachrymis, & si bo-
næ sint, Deoq; gratissimæ; quã
in operatione judicij, & intelle-
ctus, quâ cõcipitur gravitas pec-
cati ex offenso summo bono
procedens, & impulsu volunta-
tis, quæ detestatur illud maximè
ob eandem summi Boni offensi
causam. Quodsi quis talem do-
lorem ac detestationem non ha-
beret, quin potiùs aliquem sen-
tiret affectum ad quodpiã pec-
catum, præsertim sæpiùs practi-
catum, tunc facta humili sup-
plicatione Domino DEO pro
veræ contritionis dono, accuset
se de illius imperfectione. Fu-
turum

turum enim eſt, ut, quod in ipſo eſt, DEVS acceptet, & quod in ſe, eidem largiatur. Ad confeſſionem deniq; peccatorum progrediatur humiliter, tanquam cauſam contra ſe coram judice Deo acturus, ut ſe accuſatore citiùs veniam conſequatur. In hoc autem ſacro tribunali, petita priùs à cõfeſsario benedictione, nihil ob metum aut verecundiam reticeat. DEO enim confitetur, non homini, cui omnia cuiuſq; hominis interiora ſunt perſpectiſsima, & peccata priùs cognita, quàm à quoquam commiſſa, quemvé nihil poteſt latere. Omnia ſine ambagibus cum dolore referat, adhibitis ubi o-

pus circumſtantijs aggravantibus, aut ſpeciem immutantibus, non prodens complicem, non extenuans peccata, non diſputans. Audiat poſtremò & exequatur confeſſarij monita, conſilia, remedia; ſatisfactionemq́; ſibi injunctam humiliter ſuſcipiat, & abſq́; dilatione impleat, addẽdo proprio motu plura: ſiquidem diſcreti confeſſarij, etſi propter varias cauſas exiguam ſatisfactionem aſsignent; deſiderant tamen, ut ſpontè pænitentes plura, cùm poſsint, præſtẽt. Sic enim, & remiſsionem pænæ certiorem, & vberiorem emendationis gratiam conſequentur. Non negligat præterea, quæ faciunt

ciunt ad consequendas indulgẽtias, Hac enim ratione ex benignitate Dei, paucis operibus, à multis pænis liber evadet, ac perfectè fiet amicus DEO.

De sacra Synaxi, ob Maiestatem tanti Domini, qui eâ continetur, vix aliqua proferre audeo Cogita te DEVM accedere, corã quo omnis potentia fatiscit; omnis fortitudo contremiscit, omnis Maiestas vilescit, omnis evanescit sapientia. Quia tamen infinitæ bonitatis est, te nõ solùm benignè præstolatur, sed ultrò vocat ad se, ut per sui communionem interiora tua mundet, atq; sanctificet. Quis tibi nunc sensus, impie, accedenti

ad tantam pietatem? Confundere tuâ malitiâ, erigere illius clementia, & precare, ut tui, quantum opus habes, misereatur. Quam frequenter autem debeas hanc reconciliationem Templi tui mystici adhibere, nō præscribo. Hoc innuo: idcircò primos illos Christi fideles sẽper fuisse ad mortem pro Christo obeundam paratissimos, quia sacrâ synaxi ferè quotidie reficiebantur. Tu, Spiritualis Patris consilio te dirigi sines, memor illius, quod à Cyrillo (in Ioan. c. 6) verissimè scriptum: *Laboras superbiâ? sume Eucharistiam; id est, Christum ad carnem immò ad panem se humiliantem; & panis hîc humi-*

humilis te humilem faciet. *Laboras tentatione libidinis? sume vinum germinans virgines. Laboras irâ, & impatientiâ? sumeChristum crucifixum patientissimum, hic tibi suam patientiam cõmunicabit.* Quid tecum agam pluribus? *Qui manducat hunc panem* (oraculum est æternæ Veritatis) panem sanctũ, cælestem, Angelicum, supersubstantialem, habentem omnem dulcedinem & omne delectamentum svavitatis, *vivet in æternum.* Atq; ex his presiùs dictis patet, & res, & modus reconciliandi Templi mystici, quem etiam divus Augustinus brevioribus hisce expressit (*Habitaculum* (ait ille serm. 232.) *cor-*

dis nostri evacuetur vitijs, & virtutibus repleatur: claudatur diabolo, & aperiatur Christo: & ita laboremus, ut nobis bonorum operum clavibus januam regni cælestis aperire poßimus. Et ideò, fratres charißimi, unusquisq; cōsideret conscientiam suam, & quando se aliquo crimine vulneratum eße cognoverit, priùs orationibus, jeiunijs, vel elèèmosynis studeat mundare conscientiam suam, & sic Eucharistiam præsumat accipere.

Invocatio DEI omnipotentis ad morum & vitæ reparationem. *ex medit: D. Augustini.*

Domi-

DOmine, DEVS meus, da cordi meo Te desiderare, desiderando quærere, quærendo invenire, inveniendo amare, amando mala mea redimere, redēpta non iterare. Da, Domine DEVS meus, cordi meo pænitentiam, spiritui contritionem, oculis lachrymarum fontem, manibus elèèmosynæ largitatem. Rex meus, extingve in me desideria carnis, & accende ignem tui amoris. Redemptor mei, expelle à me spiritum superbiæ, & concede propitius thesaurum humilitatis tuæ. Salvator mei, amove à me furorem iræ, & îndulge mihi benignus scutum patientiæ. Creator mei, evelle à me animi rancorem, & largire mihi mentis dulcedinem

dinem. Da clementissime Pater, mihi solidam fidem, spem congruam, charitatem continuam. Rector mei, averte à me vanitatem, mentis inconstantiam, cordis vagationem, oris scurrilitatem, oculorum elationem, ventris ingluviem, opprobria proximorum, scelera detractionum, curiositatis pruriginem, diuitiarum cupidinem, potentatuum rapinam, inanis gloriæ appetitum, hypocrisis malum, adulationis venenum, cõtemptum inopum, oppressionem debilium, avaritiæ ardorem, invidiæ rubiginem, blasphemiæ mortem. Reseca in me, factor mei, temeritatem, iniquitatem, pertinaciam, inquietudinem, otiositatem, somnolentiam, pigritiam, mentis hebe-

hebetudinem, cordis cæcitatem, sensus obstinationem, morum truculentiam, boni inobedientiam, consilij repugnantiam, lingvæ refrenationem, pauperum prædam, impotentum violentiam, innocentum calumniam, subditorum negligentiam, circà domesticos severitatem, adversus familiares impietatẽ; erga proximos duritiam. DEVS *meus, misericordia mea, oro te per dilectum Filium tuum, da mihi misericordiæ opera, pietatis studia; compati afflictis, consulere erroneis, succurrere miseris, subvenire egenis, consolari mæstos, relevare oppreßos, pauperes recreare, flebiles refovere, dimittere debitoribus, parcere in me peccantibus, odientes*

me diligere, pro malis bona reddere; neminem despicere, sed honorare; bonos imitari, malos cavere; virtutes amplecti, vitia reijcere: in adversis patientiam, in prosperis continentiam, custodiam oris, & ostium circumstantiæ labijs meis, terrena calcare, cælestia sitire. Amē.

CAPVT XXIIII.

Immortalitas Tēpli mystici.

MOrtales vocamur, qui Templa DEI sumus; quonam igitur modo futuri sumus immortales? Ad Corpus quod attinet; quotidie spectare possunt oculi, illud, animâ emissâ, cadauer frigidum, pallidum;

fœtidum deniq; constitui: scatetere deniq; vix tolerandâ sanie, scatere vermibus horrendis, & postremò in cineres abire. Bernardus optimè: *Post hominem* (canit) *vermis, post vermẽ fœtor, & horror. Sic in non hominem vertitur omnis homo.* Diuinum quippè adversus mortalem decretũ est: *Puluis es, & in puluerem reverteris* Gen. 3. O miserrimam conditionem nostram! nisi melior certò sit speranda, ad quam nos merita Redemptoris nostri provectura sint. *Scimus enim,* (recreat nos Paulus 2. Cor. 5.) *quoniam, si terrestris Domus nostræ huius habitationis dissolvatur, quòd ædificationem ex* DEO *habemus*

mus, Domum non manu factam, æternam in cælis. Moriendi necessitas omnibus imposita, optanda est etiam propter futurã immortalitatem. *Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur. Oportet enim corruptibile hoc induere corruptionẽ, & mortale hoc induere immortalitatẽ.* 1. Cor. 15. *Ergo nobiscúm semel occidet breuis lux, non est perpetuò una dormienda nox,* ut somniauit Catullus. *Omnes quidem resurgemus.* Iob in sterquilinio testâ saniem ex corpore propè dissipato defluentem radens hac spe futuræ suscitationis, suavissimè delinitus aiebat:

Scio

Scio, quod Redemptor meus vivit,
& in novissimo die de terra surre-
cturus sum, & rursum circumdabor
pelle mea, & in carne mea videbo
DEVM *meum; quem visurus sum*
ego ipse, & oculi mei conspecturi
sunt: reposita est hæc spes mea in sinu
meo. Iob 19. Non est hîc dubi-
tandi locus, non est. *Omnes qui-*
dem resurgemus. Carnis resurre-
ctionem omnes, quotquot veri
sumus Christiani, credimus. Nec
immeritò. *Tota huius mundi ad-*
ministratio (inquit Augustinus)
testimonium est resurrectionis futu-
ræ. Videmus hyeme arbores spolia-
ri fructibus & folijs; sed & in vere
speciem resurrectionis exprimere
in gemmis, floribus, folijs, fructi-
bus.

bus. Interrogo te, (pergit idem) *qui de resurrectione dubitas, ubi sunt ista, quæ tempore isto producuntur? ubi latitant? Nusquam videntur; sed DEVS secreta virtute ea producit. Sic & herba, quæ ante vixit, & moritur, rursus reuiuiscit ex semine? Ita & nostrum corpus reuiuiscit ex puluere.* Nihil est magis rationi cōsentaneum, quàm hæc Templi nostri mystici perennitas. In Erucis, & Papilionibus exemplum est. Vt nascuntur, moriuntur, resuscitātur, videmus. Hirundines lacus in hyeme sepultas complectuntur, quas Ver iterum áëri restituit. Hæc natura facit; DEVS cum corpore meo, cum suo Templo,

plo, nobiliora non factur'? Quẽcunq; tumulum mortales nostri artus fuerint sortiti, prodibũt ex eo Diuinâ vi immortales; cùm *Tuba mirum spargens sonum, coget omnes ante thronum, per sepulchra regionum. Tunc quos in gremio suo terra susceperat,* (verba sunt D. Petri Damiani) *quos aqua sorbuerat, quos edax flamma consumpserat omnes quasi commissum sibi depositum reddunt, & vitæ absq; ulla sui diminutione restituunt.* Tertullianus antiquissimus scriptor hanc mihi partem terminet. *Resurgit caro,* (inquit ille) *& quidem integra: in deposito est ubicunq; apud* Devm, *per fidelissimum sequestrem* Dei Iesvm *Christũ*

Carnis

Carnis interitum quem putas, seceſſum ſcias eſſe. Non ſola anima ſeponitur; habet & caro seceſſus ſuos interim, in aquis, in ignibus, alitibus, in beſtijs, cùm in hæc diſſolui videtur; velut in vaſa transfunditur, ut rurſus ex illis præſentetur. Mors & infernus dederunt mortuos, ſuos (ait Apocalypticus Vates 20.) *qui in ipſis erant. Et dedit mare mortuos, qui in eo erant.* At Corporis immortalitate aſſertâ, de Animo quid dicemus? Evaneſcere illum in auras dimiſſo corpore cum Atheis opinabimur? Abſit. Hic enim naturâ ſuâ immortalis eſt. Nàm ubi *formauit* DEVS *hominem de limo terræ, inſpiravit in faciem eius ſpi-*

ra:u

raculum vitæ; & factus est homo in animam viventem; (Gen. 2.) non in animam morientē. Quãnon in animam moriente. Quãuis enim, quod de humo sumptum est, in humum sit aliquando rediturum; hoc tamen, quod Diuinum os (liceat humano modo loqui) in faciem hominis inspiravit, ut ipse Devs à quo profectum est, immortale est. Quæ res tàm est capacitati nostræ; non modò Sacris literis, aut fidei dogmatibus, conformis, & apta; ut infideles quoq; rectè de animis hominum sentientes, eos non tantùm esse immortales docuerint; sed insuper post fata vel puniri pro delictis, vel beari pro virtutibus, asseruerint. Nos profecto

fecto supernâ luce donati immortalitatem Animorum tàm certam esse statuimus, ut simul eos á discessu è corpore, vel ad gloriam, vel ad pænam & hanc aut temporaneam aut æternam, evolare firmissimé teneamus. Hoc enim nos Divinus Spiritus multis in locis edocuit sacræ paginæ, præsertim apud Sapientem (Sap. 3.) Vbi primùm reprobos præ angustia spiritus gementes, & intra se dicentes ita audias. *Laßati sumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulavimus vias difficiles; viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia*

omnia illa tanquam umbra; & tãquam nuntius percurrens; & tanquam navis, quæ pertransit fluctu antem aquam; & tanquam navis quæ transvolat in aere; aut tanquam sagitta emissa in locum destinatum; Sic & nos nati continuò desinimus esse; & virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere. in malignitate autem nostra consũpti sumus. Talia dixerunt in inferno hi, qui peccaverunt. Iusti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum est merces eorum, & cogitatio illorum apud altissimum. Ideò accipient regnum decoris & diadema speciei de manu Domini: quoniam dexterâ suâ teget eos, & brachio sancto suo defendet illos. Iustorum ani

animæ (Sap 3.) *in manu DEI sunt, & non tanget illos tormentum mortis. Impij autem secundùm quæ cogitaverunt correptionem habebunt.* Ex his itaq; firmissimis cælestiū oraculorum monimentis, & Fidei nostræ documentis, clarissimè nobis manifesta est, Immortalitas Templi mystici, sive Corpus, sive Animum circumspiciamus. Reliquum est, ut illud Divi Pauli pensiculatiùs expendamus, & menti propè infigamus nostræ, quod Corynthijs quondam scripsit, eos ad spem immortalitatis, simul ad omnem sanctimoniam excitans. 1. Cor. 15. *Omnes quidem resurgemus; sed non omnes immutabimur.* Quid

ita?

ita? Nàm qui Christum imitati sunt in vita, Christi gloriam cõsequentur: qui verò eum confitebantur ore, corde negabant; prædicabãt dictis, factis blasphemabant; descendent in infernũ viuentes. *Has ergo hab entes promißiones, charißimi, mundemus nos* (liceat cum Apostolo concludere) *ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore* Dei. 2. Cor. 7. Subijciatur caro spiritui, spiritus rationi, atq; legi fiamus conformes imagini Filij Dei, fiemus eiusdem Regni cælestis coheredes: si compatiemur, conglorificabimur.

CAPUT XXIV.

Gloria Templi Mystici

APostolus ille raptus ad tertium Cælum, qui audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui, gloriam Templi mystici non modò descriptu, sed nè cogitatu quidem possibilem esse astruens: *Oculus*, inquit, *non vidit, nec auris audivit; nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit DEUS ijs, qui diligunt illum; nobis autem revelavit per Spiritum suum.* 1. Cor. 2. Nec aliter Doctorum Princeps Augustinus sentiens: *Effugit*, ait, *omnē sermonem, excedit omnem sensum humanæ mentis, decus illud, atq;*

Maiestas Templi mystici futura.

Quod DEVS *præparavit diligentibus se, Fide non capitur, Spe non attingitur, Charitate non apprehenditur, desideria & vota transgreditur.*

Proindè mihi suspirandum est potiùs quouis momento ad hanc gloriam posſidendam ; non in depingenda nudi calamo, quod adynaton est, desudandum. Itaque non ex meo sensu hoc quod sequitur, de nostrorum Corporum Animorumq; beatitudine depromam ; sed ex illorum, qui hæc ad quæ translati sunt gaudia sæpiùs mente & intellectu felicisſimi viatores delibabant, fontibus hauriam parcisſimè ;

 nè

nè nimia aviditate sitim obruam potiùs quàm accendam.

Et Corpora quidem quatuor illis dotibus admirandis & præcelentissimis ornabuntur: Impassibilitate, ut dicunt Theologi, Subtilitate, Agilitate, Claritate. Has felicissimæ nostræ resurrectionis acerrimus propugnator Paulus felicissimè expressit 1. Cor. 15. vbi tacitæ quorundam circa hanc materiam obiectioni occurrens, disertissimè & sapientissimè disputat. *Dicet aliquis: Quomodò resurgunt mortui? qualive corpore venient? Insipiens; tu,* (respondet Apostolus) *quod seminas, non viuificatur, nisi priùs moriatur. Et quod seminas, non corpus,*

corpus, quod futurum est, seminas; sed nudum granum, ut puta tritici, aut alicuius cæterorum. DEVS au-tem dat illi corpus sicut vult: & unicuiq; seminum proprium corpus. &c. &c. sic & resurrectio mortuo-rum. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione: sẽinatur in ignobilitate surget in gloria, semina-tur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corp⁹ animale, surget cor. pus spirituale. Præterea easdẽ do-tes Fluvius ille Paradisi in qua-tuor alueos distinctus designat. De hoc divinissimus Moyses Gẽ. 2. *Fluvius*, inquit, *egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Pa-radisum; qui indé diuiditur in qua-tuor capita. Nomen uni Phison, se-cundi Gehon, tertij Tygris, quartus*

ipse est Euphrates. Cum quatuor his fluminib' ex mẽte Hieremiæ Drexelij quaternas beatorum corporum dotes licebit comparare. Dos prima Impaſtibilitas glorioſum corpus non modò ab omni incorruptione totâ æternitate ſervabit, ſed prorſus ab omni moleſtiola. Hoc Ioannes vaticinatus Apoc. 21. *Mors,* inquit, *ultra non erit, neq; luctus, neq; clamor, neq; dolor erit ultra; quia prima abierunt.* Altera dos glorioſo corpori vim conferet quævis corpora penetrandi: ceu radius ſolaris vitrum penetrat, illud tamen nec dividit nec lædit. Tertia dos Agilitas, glorioſo corpori tribuet facultatem

quo-

quoquouersum celerrimè se mouendi. Isaias hoc prædicens: (40. cap.) *Qui inquit, sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aßument pennas, sicut Aquilæ volabunt.* Quarta dos claritas, gloriosum corpus reddet quauis luce splendidius: *Fulgebunt beati in cælo* (quod prævidit Daniel 22.) *tanquam splendor firmamenti, tanquam stellæ in perpetuas æternitates.* Exemplum huius gloriæ beati Corporis in ipsius Christi Domini Corpore glorificato Paulus nobis ostendens ita scribit Philipensibus c. 3. 21. *Salvatorem expectamus Dominum nostrum IESVM Christum qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configura-*

 tum

tum Corpori claritatis suæ. Proindé sicut *Christus resurgens ex mortuis* (Rom. 6.) *iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur*; hoc & nobis munus illius merito expectandum. Christus resurgẽs ex mortuis illæso sepulchro prodijt, ianuis clausis in medio discipulorum sese stitit; hoc & nobis munus illius merito expectandum. Christus resurgens ex mortuis, in locis dissitis, non lõgo temporis intervallo, & Matri dilectissimæ, & sanctissimis mulieribus, & Apostolis carissimis, & discipulis in castellum pergẽtibus, gloriosus apparuit: hoc & nobis munus illius merito expectandum. Christus resurgens ex

mor-

mortuis, non aliâ credo visus fa-
cie, quàm quæ in Thaboreio
vertice *resplenduit sicut Sol:* hoc
& nobis munus illius merito ex-
pectandum. *Reformabit corpus*
humilitatis nostræ configuratũ cor-
pori claritatis suæ. O gloriam in-
finitis etiam laboribus conqui-
rendam! ô gloriam non sine gra-
vissimo tædio exoptandam! Ah!
quando veniam, & apparebo an-
te faciem Domini? De sensibus
corporeis ineffabiliter beatifi-
candis quis audeat disserere?
Quãtâ ibi odoratꝰ fragrãtiâ refi-
cietur, quãtâ visꝰ delectatione ex
Dei omniumq; creaturarũ obie-
ctis nobilissimis, pulcherrimis,
perfectissimis, perfũdetur? quã-
tâ gustus suavitate omnium sa-

porum demulcebitur? quãtâ auditus exquisitissimorum concẽtuum (ut ita dicam) symphonia oblectabitur? quantâ deniq; tactus voluptate ex glorificatione sui perpetuò promanante replebitur? Ad hunc spectat, quod superiùs ex Apostolo memoravimus, *surget in incorruptione, in gloria, in virtute, spiritualis.* Ad auditum pertinet, quod David cecinit. ps. 149. *Exultabunt sancti in gloria; exultationes DEI in gutture eorum.* Ad gustum refertur, quod idẽ Rex Psaltes alibi retulit: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, torrente voluptatis potabis eos; quoniam apud te est fons vitæ.* Ps. 39. Visui servit, quod

Isa-

Isaias promisit c. 6. *Tunc vide-bis, & afflues; & mirabitur, & di-latabitur cor tuum.* Idem odora-tus præmium exponens c. 35. *Exultabit*, ait, *solitudo & florebit, quasi lilium.* Nec discrepat Eccle-sia, quæ sic accinit. *Sancti tui, Do-mine, florebunt sicut lilium; & sicut odor balsami erunt ante te Alleluja.* Quis cætera fando enumeret? Nam animi beatitudinem nec attingere volo. Taceamus, ta-ceamus, quæ non possumus di-gnâ oratione explicare. Dei enim, & in hoc rerum omnium visio, cognitio, amor, intellectûs, me-moriæ, voluntatis ipsissima glo-ria, cui penetrabilis? Faxit Devs, ut hæc potiùs comprehendam, quàm

quàm deſcribamus. Faxit beatiſsima Trinitas, ut in quem finem creati, redempti, vocati ad fidem ſumus, eo potiamur. Faxit nè ab hoc miſerrimo exilio ad aliud æternum propter delicta noſtra detrudamur. Faxit, nè in hoc periculoſiſsimo, & procelloſiſsimo vitæ præſentis óceano periculum æternæ ſubeamus; ſed portum optatiſsimæ beatitũdinis Chriſto nävarcho, Cynoſurâ MARIA, remigibus Angelis, ventis Diuorum interceſsionibus, teneamus. Interea inter fluctus continuos liceat afflictã mentem cum D. *Bernardo.* (med. c. 4.) hac piâ exclamatione ſolari, & ad continuandam

feliciter nauigationem nostram, animare, identidem suspirando: *O ciuitas cælestis, mansio secura, patria fertilis & ampla; totum continens, quod delectat; populus sine murmure, incolæ quieti, homines nullam indigentiã habentes? Quàm gloriosa dicta sunt de te ciuitas* DEI? *sicut lætantium omnium habitatio est in Te. Omnes lætantur in lætitia & exultatione: omnes delectantur de* DEO; *cuius aspectus pulcher, facies decora, eloquium dulce. Delectabilis est ad videndum, suavis ad habendum, dulcis ad perfruendum. Ipse per se placet, & per se sufficit ad meritum, sufficit ad præmium; nec extra illum quidquam quæritur, quia totum in illo invenitur, quid-*

quid

quid desideratur. In illo clarificatur Intellectus, & purificatur affectus ad cognoscendam, & diligendã veritatem. Et hoc est totum bonũ hominis, noße scilicet & amare Creatorem suum. Quæ ergo nos angit vesania, vitiorum sitire absinthiũ, huius mundi sequi naufragium, vitæ labentis pati infortunium, impiæ tyrannidis ferre dominium; & non magis convolare ad Sanctorum felicitatem, ad Angelorum societatem, ad solemnitatem supernæ lætitiæ, & ad jucunditatem contemplatiuæ vitæ; ut poßimus intrare in potentias Domini, & videre superabundantes divitias illius bonitatis eius?

Quas, ut certo certiùs obtineamus, neq; per ullam socordiam

nostram amittamus, aut per amentiam dissipemus, vellicabit nobis autem continuò hæc, ex eodem Sanctissimo Patre desumpta, quâ Templum hoc DEI mysticum iam obsero, & planè obsigno.

Admonitio

Vtere igitur te ipso, velut DEI Tẽplo propter illud, quod in Te est, simile DEO. Honor siquidem DEO summus est; illum venerari, & imitari. Imitaris, si pius es; veneraris, si misericors es. Fac omnia, sicut Filius DEI, ut dignus sis eo, qui te dignatus est Filium vocare.

INSCRIPTIO

Templi Mystici.

TIBI ÆTERNO PATRI

Conditori meo,

TIBI ÆTERNO FILIO

Redemptori meo,

TI-

TIBI ÆTERNO SPIRITVI
Sanctificatori meo.
Templum hoc deſcriptum,
& Viuum,
quod ſum ego,
humillimè, æternùm,
dedico.
Ne deſpicias,
quod plaſmaſti:
nè abijcias,
quod reparaſti:
nè deſeras,
quod inhabitare promiſiſti.

Quæ enī vtilitas in ſãguine, meo, illo inquā Sãguine, qui pro me fuſus eſt; ſi deſcendero in æternam corruptionē? non mortui laudabunt Te Domine; neq; omnes, qui deſcēdunt in infernum Sed nos, qui vivimus, benedicimus Domino, ex hoc, nunc, & uſque in ſæculum.

FINIS.